DE

CHOLERA-MORBO

COMMENTARIOLUM

AUCTORE J. N. D. J.

Diximus solere post magnos terrarum motus pestilentiam fieri. Nec id mirum est; multa enim mortifera in alto latent. *Senec. Quaest. nat. lib. VI. cap.* XXVII.

Multa autem terras habere mortifera vel ex hoc intellige, quod tot venena nascuntur, non manu sparsa, sed sponte, solo scilicet habente, ut boni, ita mali semina. *Op. cit. lib. cit. cap.* XXVIII.

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA MATTHAEI VARA

1835.

MAURITIO. BUFALINIO.

PRAECLARO. ATQUE. PERDOCTO. VIRO.

COMMENTARIOLUM. HOC.

IN. OBSERVANTIAE. SIGNUM.

J. N. D. J.

D. D. D.

CHOLERAM asiaticam tractaturus, neque deliramenta theoriae medicae nostri aevi, neque, quod multis arridet, empiricos laudibus prosequendo, huic praefabor Commentariolo. Facta in variis orbis terrae regionibus hactenus circa morbum observata, casta uti sunt, retinere polliceor; liceat tamen illa inter se colligare si repugnent, rationique subjicere, ut observationum sit recta concinnatio, quae solum veram constituit scientiam. Modo aedificiorum, mea quidem sententia, et scientiae conduntur: aqua, calx, lapilli, silices, et saxa sunt tamquam facta et medicae observationes: cementum vero experimentum; sed instrumentis suis auctrix ratio omnia polit, concinnat, et instruit.

Interim, ut rem probe aggrediar enucleandam, methodo, quam sibimet natura praestituit, id muneris absolvam. Phaenomenorum progressio naturalis haec est: praecedit actio causarum praedisponentium, quae ducunt ad Choleram, atque obnoxios faciunt homines ad morbum suscipiendum; idest Cholerae diathesim constituunt universalem dynamicam: deinde causae occasionales accedunt, quae vel fere ex nihilo Choleram creant, vel diathesim fovent et augent: sequitur causae proximae materialis formatio, quae, ut sentio, arthritidis anomalae, anginae putridae, aut aphtharum malignarum naturam habet: inde systematis animalis alicuius partis patens affectio

et morbi clara evolutio : tunc apparet morbi peripheria vel forma sic dicta nosologica, sub ipsa idiopathica centralis affectio, cui non inconsulto nomen imponere juvabit ; praeterea correpti aut ad quamdam distantiam ducti motus a parte affecta projecti, qui symptomata idiopathica, vel sympathica in scholis nuncupantur ; hinc exponenda sunt morbi curriculum, successiones, crises felices aut infelices, et prognosis : morbi doctrina ; et tandem Therapeja prophylactica, et eradicativa.

Caussae Cholerae praedisponentes : phlebotomia epidemica : earumque effectus proximi.

Quidquid sit de contagione morbi, quod infra dicere lubebit, animum nunc attollere convenit ad antecedentia, quae semel nacta, non solum ad Choleram patefaciendam, verum etiam ad cognoscendam morborum intercurrentium naturam plurimum faciunt. Quod non arridet medicis theoreticis, quibus criterii medici, quod integrum erat, pejeratis antecedentibus, dimidia pars tantum superest. Quantum in me est, nugis hisce neglectis, ab antecedentibus, et consequentibus criterium meum integrum ducere conabor ; idcirco breviter non solum ad atmosphaerae, sed aquae, ignis, Terrae, maris et coeli mutationes describendas devenio ; quae omnia adventus morbi pestilentis signa dare solent. Enimvero quatuor abhinc annis singulares quidem visae sunt meteorologicae mutationes in Europae regionibus aeque atque in India, quum vulgo grassari anno 1817 incepit morbus, cladem horr ndam indu-

cendo non tantum apud indigenas, verum etiam in Europeos, et praecipue in viatores, qui lucrifaciendi caussa ibi versabantur. Ut bella omittam, animorum perturbationes, populorumque tempestates, quae notata periodo totam Europam, Asiam, Africam, et Americam partim subverterunt, partimque subvertere conata sunt: nostra quidem fuere flagella, fulmina frequenter recurrentia, ambulans terraemotus, venti flantes maximo impetu, recentes vulcani, grandaevus Vesevus noster exacerbatus, alluvionesque gradientes uti terraemotus, quibus historia recens et ephemerides, quae non dicam in quaque civitate, verum in quoque vico, mania quadam scribendi, evulgantur, expletae reperiuntur (1). Miris hisce casibus quasi commutata cosmologica ratione, Terrae superficies novas formas induere moliebatur: hinc non antea visas, ut dictum, insectorum species; aliquarum specierum volatilium regionibus, quibus assueverant, decessus, novasque, non longe sistentes insulas emersas, terras in variis Europae regionibus eversas, nemora diruta, agros demissos, belluas, feras, pecora, cetacea, testacea, homines-

---

(1) . . . . . . *Saepe exiguus mus*
Augurium tibi triste dabit, tellure sub ima,
Quem non ullus amor tenuit, sed in aera apertum
Erupit scrobibus, vitaeque, atque immemor usus;
Et parvos natos, et dulcia tecta reliquit.
Ipsa etiam tellus ceu non ignara futuri,
Quum tremit, atque intus gravida suspirat ab alvo
Signa dabit: tremuere urbes et vertice toto
Formidavit Athos, timuitque sub aequore Nereus.

que demum profligatos miserrime videre nobis contigit. Et valde mira fuere anni tempora, cum hyeme et aestate carentes anno 1833, pauci calorem cubicularem, quo hieme fruimur experti, paucissimi aestate balneis frigidis usi sunt: pluviae tunc defuerunt, aliquibus alluvionibus exceptis, quaeque nullibi scatebris saturandis, verum agris vastandis inservierunt: (1) hinc ortum duxit soboles malorum, quae genus hominum praecipue multis modis divexavit, repentinis et noxiis inundationibus, quae civitates, vicos, homines, animalia transtulerunt et interdum obruerunt: inundationes mox sequebatur aquarum fluviatilium et scatebrarum defectus, et irrigandi comodum sublatum non sine gravi messis detrimento: accessit aestiva rubigo cerealium et maxima pascuorum caritas, qua emaciata pecora, fame perierunt. Et nati ad anarchiam pisces, mari tumido exagitati, congregari visi sunt, quasi periclitaretur genus; anno 1832 cetacea, anno 1833 thymni; anno 1834 testacea; anno 1835 clupeae societatem inter se arctiorem, quam mos erat, inierunt; quamobrem in piscatorum verricula confluentes, edulii magnam copiam praebuerunt omnibus, etiam plebi. Nobilium vegetabilium maxima fuit afflictio, praecipue olearum et vitium viniferarum: quocirca pomifer autumnus uvis acerbis, et nullis oleis se obtulit, et hieme et aestate vina, quam-

---

(1) *Sed aquae quoque sua signa dant, quum inundant flumina.... quum maria pisces emortuos plures in littoribus deponunt. Fracat. De contag. cap.* 13.

vis firmissima, nunquam deferbuere, ita ut corrumperentur. Ad caeteras miserias novissimae in sole maculae (1) et novum sidus accedunt, jam primum visum inter stellam nebulosam, quae praecedit et Taurum, Romae ex astronomica specula nonis sextilis, quod redux cometa Halley 1759 creditur, quique Terrae nostrae praecipue mense Octobris, quum fiet ejus maxima appropinquatio, sinister et frigorificus, modo systema universi turbare potest, ut multi putant, praesertim Hildebrandius (2).

Non fusius, quam res exigebat, et uberius horum quatuor annorum constitutiones, me prosequutum fuisse, sponte confiteor; verum monitos volo lectores, me de atmosphaericis mutationibus pauca delibasse, ut tantum mentem ad ea, quae discutienda sunt, paratam habent.

Observatum est, Choleram prope fluvios grassari, et in ora maritima: habitationes humidas et homines quibus angustae sunt res familiares, sordidos, miserosque praecipue invadere; torquere populos anarchicos et deprimentibus conflictatos passionibus; eos eligere, qui magni caloris et fri-

---

(1) *Admirandum certo fuit id quod die 21. Ianuarii 1693 contiguit; facta enim per noctem lunari ecclipsi, major pars aegrotantium perit. Bennard. Ramazz. Constit. epidem. dissert. 1.*

(2) *Animadversiones in costit. etc.*

Sunt porro et aspectu quodam planetarum, quibus astronomi haec portenta tribuunt, qui nec omnia negligendi sunt, nec semper timendi. Fracas. op. cit. cap. cit.

goris subitis mutationibus se objecerunt; parcere impavidis, apathis, quibus nulla sunt pericula, nullus moeror. Et paucissimis exceptis, de quibus inferius dicemus, Choleram nunquam experti sunt, nisi quos caussa quaedam occasionalis evidens tetigerat.

Hisce delibatis asserere siquidem queo, descriptarum aeris constitutionum effectus proximos, aut electricis concussionibus frequenter renovatis, aut electrici defectui, in altera parte tempestatum ope accumulati, debitos, quoad hominum genus pertinet, fuisse debilitatem, atque fere nervorum resolutionem, praecipue eorum, quibus munus est, ventriculi, et cordis vitalitatem sustinere. Multos vidi aegrotos, neminem qui hac affectione non laboraret primaria, licet variis evoluta formis nosologicis: varios vidi valetudinarios, quibus ultra modum lapsae, praesertim post somnum, vires, quaerentes tonica et roborantia in balneorum maritimorum usu, in thermis, aliisque remediis; verum etsi adhibuissent solliciti diligenter, quemadmodum solent, minime convaluerunt. Et in multis quorum totum erat robur, debilitas haecce, quae a perseverantibus atmosphaerae conditionibus derivabatur, nulli voluit parere medicinae. Quodque videtur demum inter alia notandum, est status parum vitalis, quem stomachus, et tubus cibarius ostendunt hoc anno, quo instat Cholera (1). Proinde incassum invenire nunc cupis,

(1) *Eodem modo se res habuerant Moschae juxta doctum Iachnichennem, quem non fugit observatio mutationum, quae locum habuerunt in*

qui possideat stomachum mediocriter valentem; exceptis qui biberunt abunde aquam sulphuream vel lucullanam nostram, omnes vel aliquo gulae dolore, vel spasmo, vel sensu oppressionis laborare se doluerunt per longum tempus circa cordis scrobiculum: quod accidit praesertim, quum stomachus conditione pathologica aphtharum laborare incipit. Quod praedictae sensationes gastricam affectionem constituebant, a materia acri pituitosa, membranae mucosae stomachi, vel oesophagi, vel gulae inhaerenti genitam, patefaciebant sordities alba mucosa, qua obtecta erat lingua, et patefaciebant emetica; quum peracto vomitu, non rejiciebant cum levamine aegri, nisi pituitosam, ac rheumaticam colluviem.

Observatum etiam est fere omnes alvum laxam habere, diarrhoea, dysenteria, et haemorrhagia intestinorum levibus causis rheumaticis corripi; ani et intestini recti prolapsiones esse frequentiores; acerbiores fieri, quae latebant. Querebatur mihi aeger de summa facilitate descensus alimentorum per alvum; nulla remanet mihi materies alimentitia, ajebat, nulla potio; et videntur digerentia cunicula mea facta esse latiora et leviora; atque querimoniam de intestinis immodice dilatatis, de eorum aucta capacitate in multis reperi aegrotantibus. Suis auscultans sensationibus, timebat pius sacerdos, qui haemorrhagiam intetestinornm ob Choleram patiebatnr, ne viscera

---

populis priusquam conflictarentur a Cholera. Idem accidit Massiliae, Tolonismartii, Nivae, Januae Liburni et alibi.

omnia abdominalia detruderentur per alvum. Persuadebatur muliercula, utcumque inter tormina intestinorum evacuationes alvinae globos secum ferebant quasi sanguine coagmentatos, hepar partitis vicibus per alvum reddidisse. Nec inficiabar naturae voces; namque ministerii opus tantum gerens roborantibus et adstringentibus rem restitui.

Quae theoriae medicae recentes captum meum superant, mihi supervacaneae, felicissimis ingeniis, qui contrastimuli theoriam sectantur, inserviant. Vim vitalem metiri gradibus elongationis fibrae animalis, et excitamenti momentum existimare, prout quantitas vel pondus vivae materiae, prout est organorum vulumen, ratio vetat, abnegat observatio. Mihi certum est, vim excitamenti fibrarum contractioni respondere: hinc majorem fieri, quum fibrae magis magisque contrahuntur et breves evadunt. Quod aperte experimur in organis cavis praecipue et tunicam habentibus musculosam, fibris circularibus, vel alia forma curvilinea praeditis, quae eam instruunt. In his excitamentum valet semper strictum, in oesophago, ventriculo, intestinis, vesica, utero, in corde demum et in pulsantibus arteriis: quod strictum mutari in laxum venae sectionibus, hirudinibus, aliisque deprimentibus, experientia constat. Status ergo dynamicus universalis, qui recensitis causis praedisponentibus nascitur, et qui Cholerae plerumque subest, diathesis hyposthenica ea est proculdubio (1).

---

(1) *Consule doctum Bartholomaeum Villanium*: Delle diatesi Ragionamento.

At arrogantia quadam asseris, inquient fortasse, qui medicinam sectantur exanimantem, cholericos fieri adynamia virium, quum aliquoties floridi, fortes, colossei, pingues, juvenes prae caeteris morbo truculento afficiuntur. Hisce utuntur nugis, qui virium robur metiri volunt a quantitate et volumine materiae vivae, neglecta notione bovem magnum, debilem si ipsum deficiunt, muscam parvam, fortem esse, si ejus capacitatem vitalem stimulantia explent adamussim. Praeterea delirio quodam correptos fuisse medicos ob tristem temporum conditionem, nulli dubium esse potest; atque inter deliria aevi nestri adnumeranda videtur phlebotomia; qua abutuntur, qui existimant, hoc remedio non tantum omnes curare morbos, verum etiam ab omnibus praeservare: hinc factum est, ut et benevalentes, et valetudinarii, et aegroti phlebotomiis reiteratis se submittunt, praecipue si aliqua ipsis in facie appareat rubedo: primi ut a morbis se defendant commentitiis: alteri ut vires amissas acquirant: postremi, ut morbos, quibus laborant, curent suos. Idcirco mea me forsan non fefellit opinio, si inter causas praedisponentes, quae epidemiam adynamicam Cholerae asiaticae parant, phlebotomiam epidemicam adumeravi. (1)

---

(1) *Si vel minima suspicio adest febris malignae ex coagulatione; cave a sanguinis missione tanquam peste. Ciorg. Baglivi Prax medic. lib.* 1.

Caussae occasionales, earumque effectus proximi.

Quod ad me attinet, diathesis hyposthenica universalis morbus non est; neque ipsa aucta diathesis ut placuit Brunoni (1): meo quidem judicio, obripit morbus statim ac polaritas virium apparet, sibique locum, sibi centrum, morbida affectione parti cuidam inhaerenti, paravit, fecitque (2). Ex causis remotis ad morbidae affectionis centrum pervenire frequenter concessum est, praesertim occasionalibus; namque saepe potens, fortis, efficiens est causa occasionalis, non minus ad virium aequilibrium turbandum idonea, quam ad imprimendum et signandum locum et sedem morbi (3). Rem nihilominus aggredi quisque pro sua institutione et modo potest intelligendi; negare attamen nequit quicumque, innumeris constare observationibus Choleram nasci et grassari ob aeris temperaturae magnas mutationes, ob insolitos labores, ob victus et voluptatum errores, ob concutientia animi pathemata; quae, quantum valeant transpirationi movendae et mox impediendae, consule magnos in arte nostra viros Boerhaavium, Sanctorium, aliosque; et quantum faciant, ut augeantur intus bilis, muci, lym-

---

(1) *Consule meas Institutiones, quibus titulus: Istituzioni di medicina pratica del Professore di Clinica Gio: Nicola del Giudice, P. I. Patologia cap. IV art.* 1. 2.

(2) *Oper. citat. l. c. pag.* 107.

(3) *Oper cit. cap. cit. art. cit.*

phae secretiones, externis imminutis, aut aliqua parte retentis, consule te ipsum, qui Physiologiam et Pathologiam comparare debuisti, et vitae inversiones, legesque, quae illas regunt non summatim perpendendo, rem probe explanatam aperte cognosces. Caeterum theoriis non est hic locus, ubi observationes et experientia firmissima tenent judicia.

Tres caussae occasionales plurimum possunt ad Choleram gignendam. Trinae quidem vergunt ad stomachum, gangliorum nervos, et cor; quarum prima *electricum*, altera *terror*, tertia *imitatio*, qua Cholera saepe vim contagiosorum morborum videtur acquirere.

De Elettrico pauca: Electricum in mundi systemate, neque augeri neque minui valet; si augmentatur supra aridos montes, et montium altitudines, minutionem pati necesse est in collibus, in planitie, prope fluvios, et in oris maritimis. Si alluvionibus, tempestatibus, vulcanis, fulminibus, aliisque miris meteoris inservivit in montibus et in montium altitudinibus; planities, colles, fluvii, lacus, et ora maritima proculdubio polus negativus electrici fuere. Est nec ne defectus electrici, qui prope fluvios, loca coenosa et oram maritimam incolentes ad virium adynamiam submittit, facitque hoc modo Choleram, in qua praelucent praeceps cordis et arteriarum lapsus, et caloris animalis fere subitanea extinctio? An electrici refluxus, qui tunc ex improviso homines invadit, ob enormitatem actionis Choleram efficit? Est nec ne alternatio et concursus utriusque electricitatis, ides positivae et negativae, qui morbum producit, quarum altera exanimando,

altera vires commovendo, morbum proxime evolvunt?

Plura de *Terrore* dicere, majora de *Imitatione* operae pretium esse puto; quippe quae notiones ad ea pertinentes, indagandae rei vel maxime concurrunt, magis distinctae sunt, magisque captui comuni accomodatae.

A meditatione morbi cujusdam, morbum ipsum saepe productum esse absque contactu ac morbosae materiae transmissione, observationes innumerae ostendunt apud Lallebasquium, a Suagesio, a Pinelio, a Portalio, a Brusseo desumptae, ac a monumentis Regiae Accademiae Montis Pessulani. His omnibus nunc omissis, unum hoc attente observabis, quod memorare maximum puto negotium. Cholerica epidemia grassante Varsaviae, polonum fortem, et impavidum, polonus medicus apud se appellavit: experimentum instituere necesse est, ut cognoscatur, sit nec ne contagiosa Cholera morbus, sarmata medicus dixit alteri: in lecto hoc, qui cholericum jam mortuum excepit, nullum est tibi periculum, si cubas; quoniam fortis es et impavidus: verum tamen si morbo laborabis, sumptibus meis, meaque opera curaberis; si morieris, familiae tuae providere ex consulto statui: promptus sum, respondit, et statim lecto cubare incipit. Paullo post cogitans quale discrimen pati posset ab imprudenti consilio, terrore captus, frigus vagans, mox omnia Cholerae symptomata secum ferens expertus est: vanis valentioribns remediis, Cholera perit. Medico postea testante, nullum cholericum illic cubuisse patuit.

Non paucos refert Brusseus Cholerae casus qui

a terrore ortum duxerunt (1) putatque animum fortem multis observatoribus satis fuisse, ut qui Cholerae morbidam materiem per os, anumque excretam gustaverint, in eorumque cubile dormiverint, praeserventur a Cholera. Tandem vulgare est et apertum, omnes intrepidos, pestilentia grassante, nulla affici, inter affectos, affectione.

Ad morbum propagandum, quantum possit Imitatio, consule primo Boerhaavium (2), inde Witthium (3), aliosque. Verba sunt viri immortalis « Si quis subito videat hominem, cujus limbi » palpebrarum sunt inflammati, coccineo colore » fulgentes, et oculi simul tales sunt, et la- » crymae inde destillant, ejus oculi etiam inde » laedentur, nec ullus est qui hoc sentiet : si » puer insons nutricem habeat luscam, vel cum » alio puero lusco ludat, ex illa conversatione » etiam luscus fiet: sic a lusco praeceptore omnes » infantes etiam lusci fiunt : ubi orator volens « flectere homines, faciem suam ad commiseratio- » nem componit, mox etiam auditores faciem com- » miserantem habent ; hoc si peterentur, facere » non possent ; sed nunc faciunt per sympa- » thiam...... hoc faciunt exquisite et absque ullo » praeceptore. Legitur in Actis britannicis mirum » exemplum hominis qui parvus quidem et ma-

---

(1) *Nemo quidem sine jactura sanitatis expavit. Senec. Quaestion. natur. lib. tit. cap.* 29.

(2) *Praelect. accad. de morbis nervorum, sympathiae vol.* 1. *pag.* 109. *e seg.*

(3) *Traite des maladies nerveuses. Tom.* 1. *pag.* 293. *e seg.*

» cilentus, functiones tamen omnes optime peragebat; sed ab infantia erat obnoxius tantae sympathiae, ut illico deberet imitari omnes motus, qui ab aliis edebantur, idque sine ulla voluntate, immo contra voluntatem. Hinc per plateas incedens, cogebatur solum respicere, oculis clausis in sodalitio sedere, vel faciem a sodalibus avertere: si videret hominem caput moventem, ipso momento movebatur etiam ejus caput; si videret hominem ridentem sine sono, illius os etiam ridebat; si quis detegeret caput, ille etiam; si quis saltaret, ille etiam; uno verbo quodcumque videbat, hoc exprimebat ipso momento contra voluntatem .... videte igitur quomodo factus est homo; quas facultates habeat; quomodo consonet, patiatur, ducatur saepe absque scientia, cognitione, et voluntate, immo contra voluntatem ad quaecumque. »

Consulite quaeso, observationes, quas Witthius ad firmandas contagiosas sympathiae vires ex operibus Baglivi et aliorum deprompsit. Hoc modo quosdam, qui epilepticos et feminas hystericas respiciebant convulsas, epilepsia et hysteria correptos fuisse, notum est. Extat exemplum puellae, quæ Xenodochio Harlemii habitabat, periodicis convulsionibus obnoxiae. Qui aderant juvenum, ac illi succurrebant, quaedam a spectaculo territa, fuit a convulsione correpta, postridie altera, demum omnes et pueri et puellae epileptici fuere, ut convulsiones aliquarum in omnibus convulsiones excitarent. Arcessitis practicis prudentioribus, frustra fuerunt adhibita potentiora antispasmodica: ad doctissimum denique Kaau-Boerhaavium confugerunt, qui cum Harlemium venisset, et ingressus Xenodochium, de

morbo investigare coepisset, puerum convulsione correptum, alterum imitari et quasi epilepsia excruciari vidit. Quamobrem haec graviter expendens, eximia fretus prudentia, morbum posse ob imaginationem vehementer excitatam omnes invadere putavit: curandum idcirco remediis imaginationi restituendae idoneis; proinde illis ostendendo aliquid magis spectandum, quod imaginationem revocaret. Magistratibus certioribus factis de eo quod exequi volebat, omnibusque pueris et puellis uno loco collectis, ut afferrentur plenae pruna fornaculae, atque excanderent ex ferro virgae, imperavit: postea magna voce proclamavit: eo quia omnia remedia ad curandas convulsiones inutilia fuerant, se unum agnoscere, usque ad os scilicet ignito ferro brachium pueri aut puellae urendum, qui primus morbo convulsivo affectus fuisset. Quoniam Kaau-Boerhaavii gravis erat aspectus et magnus vocis sonus, timor crudelis remedii plurimum in adoloscentulis valuit; ut cum paroxismum accedere sentirent, magna animi praeoccupatio et formido horrendae ustionis majorem impressionem in illis faciebat, quam ipsa convulsio: ex quo factum est, ut convulsiones non amplius recurrerent.

In insula Zetlandia morbus recurrit notissimus, qui illic *accessus convulsivus* vocatur. Cordis incipit palpitatione, sed confestim aegri, nisi quis succurrat, cadunt; postea crura et brachia contrahuntur et relaxantur; ita dein rigescunt nihilominus ut nullo modo deflecti possint; respirationem difficulter exercent, et dum durat accessus, magnos edunt clamores. Morbus qui raro mulieres invadit, est frequentissimus apud virgines et puellas

decem, aut duodecim annos natas; itemque uti in Xenodochio Harlemii accidebat, propagatur usque eo, ut convulsiones si in Ecclesia, aut alio pubblico loco aliquem invadant, adstantes et aggrediuntur, quod magnum affert confusionem.

Ex Davanzato tandem testimonia de *vampiris*(1) referam, ut dignoscatur, quantum possint Imitatio et phantasia in morbis producendis et propagandis. Mortui homines et jam sepulti, ipsa forma, habitu, et cultu, quem habebant vivi, propinquis, amicisque diu noctuque apparebant, cum ipsis colloquebantur, convivabantur, et aliquando cum irent cubitum, ipsos concumbere alliciebant et sanguinem eorum sugebant. Neque hoc semel, sed saepe saepius usque eo dum illos tam exangues, exanimes et squalidos fecere, ut brevi ex hac vita decederent. Hoc modo moriebantur, et ipsi *vampiri* aliis apparebant, itemque mortem afferebant. Quamobrem clades horrenda fuit, quae Libitinae promptuaria explendo, Moraviam, altam Silesiam, Hungariam devastavit, regionesque finitimas minata est. Ut populorum mutaretur phantasia ad Tribunalia perfugere opus fuit; quae decreverunt *vampiros* e sepulchro eruendos, capite plectendos, cor extorquendum et trajiciendum. Interim sententiam peragentibus mirum fuit visu multos *vampiros* sanguine expletos et floridos, eosdemque, populo audiente, magnos emittere clamores quasi viverent.

Satis dictum est de notionibus, quae hodie

(1) *Dissertazione sopra i Vampiri di Giuseppe Davanzati.*

apud omnes vulgares esse deberent; caeterum ea conferre credidi, ut, quae ad opus nostrum maxime conveniunt, reviviscerent.

Attamen non est dubitandum, quin homines sympathia quadam inter se conjungantur; qua aliquoties morbi, etsi populatores, absque contactu vel morbidae materiae trajectione, saepe sub specie morborum contagiosorum, ab uno in alterum, a quibusdam in multos et in omnes transmittuntur.

Formatio causae proximae materialis, quae arthriticae et aphtharum malignarum indolis est: systematis animalis aliquae partis patens affectio, et morbi clara evolutio.

Eosdem effectus et a lethalis veneni potione, et ab ingeneratione, quae a corpore ortum habet; videlicet posse esse talem, ut veneni, tum qualitatem tum vires aequet, senserunt antiqui (1) aeque ac recentiores medici. Praesertim haec accidere compertum est, quum terror, aliaque animi pathemata deprimentia, potissimum subitanea, homines de repente invaserunt: non solum humores in venenum transire, sed solida ipsa et organa illico transformari, cordis et arteriarum lacerationes accidere, aneurysmata statim evolvi, capillos albescere, atque decidere, innumeris et vulgaribus constat observationibus. Magnum ergo imperium in humorum atque solidorum temperie mutanda habent animi pathemata, ephemeridibus nunc, adventum morbi pestilentis, qui genus

(1) *Gal. De locis affectis lib. VI. cap.* 5.

hominum exterminare molitur, nuntiantibus, magis et vehementer exacerbata. Accesserunt, ut dixi, mirificae aeris vicissitudines (1), societas quaqueversus turbata, familiarum, quae proventubus agrorum, qui maxime viluere, se sustentabant, desperatio, ut humorum crasim mutarent, ac Cholerae materiam morbidam pararent. Et extat; re quidem vera, popularis dispositio quaedam ad Choleram suscipiendam; quod noscere potes, cum perpendes intercurrentia, quibus nunc vexamur. Centrum affectionis praedictarum causarum nequeunt esse, nisi stomachus et nervi magni sympathici, quo vergere scimus transpirationis errores, animique pathemata deprimentia. Sedem hanc Cholerae si meditaris, causarum remotarum cognitione praelucente, quod facies, insciis, ne noceant, medicis contrastimulantibus, clara tibi fient: appulsio, aut creatio materiae morbidae, qua dolor et humor stomacho arcessitur; antegenitus dolor, qui dolorem geminat, humoremque alium ciet; genitus humor, qui dolorem iterum iterumque geminat usque eo, ut causarum effectuumque concursus et quasi conglomeratio locum habeat pro stabilienda Cholerae pathologica conditione. Phlogosis arthritica, vel aphtharum malignarum membranae mucosae ventriculi et intestinorum sistit hanc conditionem pathologicam, quae habet attamen pro basi diathesim adynami-

---

(1) *Nec abs re dictum est una cum temporibus mutari corporum conditionem, ita ut qualis est aer, tales et spiritus et humores existant. Gulielm. Ballon. epidem. initio.*

cam putridamque, ut superius demonstravi. Hinc morbus aperte evolvitur sua symptomatum periphaeria, seu forma nosologica, in qua. phaenomena idiopathica uti sunt cardialgiae varietates, stomachum, ejusque nervos directe lacessentes distingues a symptomatibus, uti vomitus, diarrhoea, cordis et arteriarum ictuum imminutio, caloris animalis fere extinctio, aliaque phaenomena remote projecta, quae a stomachi primaria pathologica conditione nascuntur.

Quae asserunt aeneam, ferream, mineralem esse indolem veneni cholerici, theoriae, utpote subtiles et imaginariae, longe rejiciendae sunt. Infirma videntur esse earum fundamenta, quales sunt sensationes aegrorum, et scriptorum quibus fulciuntur; quorum alteri ob morbos, quos patiuntur infinitis et abnormibus afficiuntur sensationibus ad diagnosim fere undique inutilibus; alteri hypochondriasi litterarum, quippe qui naturam morbi post tot labores non assecuti, sensibus suis commissi, veritatem capessere non potuerunt (1). Rheumaticam arthriticam anomalam, qualem in aphthis malignis et in anginis putridis

---

(1) *Olentes exalationes juxta Senecam et Baglivum adventus terraemoti et morbi pestilentis signa dare solent. In naribus ne Hanhemani exalationes praedictae operatae sunt ut impellerent homoepathicum ad ea credenda quae divulgavit; scilicet Choleram olere camphoram vel aeneas praeparationes, ac proinde eam curandam esse remediis eodem modo olentibus, idest camphora et aeneis praeparationibus?*

sistere Cholerae materiam morbosam, demonstrant:

I. Ea materies abunde reperta in stomachi et intestinorum superficie mucosa, cadaverum autopsiis. Meditare, quae refert Moreaus d' Iounès: » singularitas, ait (2), quam superficies interna » stomachi et intestinorum offert, quamque inter » alia magis interest animadvertere, ea quidem est » existentia materiae argillosae, membranam muco- » sam obtegentis, quaeque videtur separari a fluido » turbido, quae tubum cibarium cholericorum saepe » explet. Abundans est, quia frequentissimis eva- » cuationibus evoluta, et filtratione adhibita, tam- » quam terreum sedimentum in linteo remanet: » mirum productum, de quo quaesivimus notiones » et non invenimus, Choleram distinguit pestiferam » uti vomitus niger febrim flavam americanam. » Et iterum meditare varias necroses et parvas elevationes albas in stomacho cholericorum repertas a Bayerio, nec non punctula rubra membranam submucosam penetrantia.

II. Proclivitas magna, quam omni aevo materies arthritica atque aphthosa monstravit stomachum invadendi, intestina, cor, et alia organa musculosam habentia structuram; in quibus decumbendo, dolores saevissimos et summe periculosos, inflammationes, contractiones, maculas, pustulas, crassitiem, duritiemque praeternaturales humorumque collectiones fecit, reliquitque, prout duraverit: hinc innotescit, cur membrana

---

(2) *Rapport au conseil superieur de santè sur le cholera-morbus pestilentiel.*

stomachi, materie densa alba glutinosa, maculis nigris hic illic conspersa in cadaveribus inveniatur; et qua de causa cor cholericorum nunc mole satis auctum, nunc sanguinis concretionibus, nunc tandem falsis membranis vel polypis intus infarctum sit. Qui arachnoidem sanguine oppletam viderunt, vel alibi, turgescentias has veluti processus secundarios et ad venas pertinere considerabunt, si cholericis, corde et arteriis carotidibus fere exanimatis ob ictuum vitalium defectum, circulatio celebri venosa nulla est.

III. Assimiles sunt inter se conditiones pathologicae Cholerae, anginae putridae, aphtharum malignarum et arthritidum anomalarum, omnibusque eadem nota est, mobilitas materiae morbosae, a qua pendent; quo fit, ut inversio, aut translatio morbi, derivantium aut revellentium ope, facile obtineatur. Miracula patrarunt medici Indi cito ad talum cholericorum ferrum ignitum admovendo; Israelitae qui pedes eorum irritarunt remediis, allio, camphora, pipere, et cantharidibus confectis; itemque alii stomachi regioni spongiam acido nitrico imbutam vel emplastrum vesicatorium apponendo.

IV. Conficit Cholera ad instar morborum arthriticorum et aphtharum malignarum suas ambulationes, exequiturque crises, materia sua morbida carnibus, pedibus et articulis incumbenti; si quis fuerit autem morbus arthriticus in carnibus, articulis, pedibus, aut aphthosus alibi, materia intus versa, Choleram, colicam, dysenteriam pessimam gignet, proflicabitque aegrotos iisdem symptomatibus, quibus Cholera stipatur asiatica. Praxim medicam qui vel Ballonii vel

Boerhaavii, vel Swientenii, vel Baglivi aliorumque praestantium virorum operibus consuluerit, infinitis arthriticorum morborum, anginarum putridarum, aphtharum malignarum anomaliis obviam ivit, quae extra dubitationis aleam, quod dictum est, ponunt. Hic spectat etiam quod excellentissimus Fardella, belli et navilium rerum Magister a segretis, excerpsit ex Dione Cassio; qui refert exercitum romanorum morbo in Arabia excruciatum fuisse nulli notorum assimili, quique multos perimebat, nisi in pedes, in totum corpus transiisset, vel oleo et vino uterentur.

V. Remediorum Choleram cito curantium natura, quae emolliens, liniens est, sed simul stimulans et excitans. Verumtamen dissimulandum non est, quod non desunt observationes de summa utilitate, quam hirudines et phlebotomia iterum applicitae ac iteratae cholericis attulerunt. Restat, ut inquiramus nihilominus quinam fuere medici, qui tam saepe ad haec remedia confugerunt; namque si ad sectam pertinuerint hodiernae medicinae, quae docet nullum esse remedium nisi quod exanimat aegrum, eorum observationes uti suspectae rejiciantur oportet. Ingenium enim iis, ob singularem studendi methodum, librorum, praeceptorumque delectum, ita factum est, ut verum a falso nunquam discernere possint. Caeterum post tot tantaque pericula, undique peracta, contra animi sui sensus et obtorto collo, remedia cardiaca et excitantia in Cholerae curatione adhibere coacti sunt; atque ita veritas locum suum obtinuit.

Tandem a morbi forma nosologica, ab ejus curriculo, a crisibus, nec non ab inversionibus,

quas monstrat, nova potes desumere argumenta ut magis magisque comprobetur, Choleram asiaticam nihil aliud esse quam acutum arthriticum aphthosum anomalum morbum summe percardiacum et saepe exitialem.

Est nec ne materies, quae Choleram proxime facit, contagiosa? Maxime quidem: more attamen arthritici morbi, anginae pudridae, dysenteriae, aphtharum malignarum, aliorumque hujus generis morborum: minime vero ut morbi exanthematici qui vero contagio propagantur: argumenta quibus innitor, haec sunt:

I. Cholera morbus exanthematibus minime consociatur, ne in extrema quidem febris nervosae periodo, in quam juxta observationes ad hanc diem collectas, transire dicitur: Nullus profecto extat morbus acutus febrilis contagiosus, qui non sit, in aliqua sui cursus periodo, exanthematibus stipatus. Pestis ipsa, febris flava americana seu pestis occidentis sua typhica exanthemata habent. Habent febris miliaris, petechialis, typhus, variolae, morbilli, pemphygus, scarlatina; et habent syphilis et psora. Maculae nigrae in facie cadaverum cholericorum observatae, processus mortis, non morbi sunt.

II. Cholera curriculum determinatum et necessarium uti videtur in aliis vere contagiosis morbis, minime monstrat, quum non sint tam rarae observationes cholericorum, qui in conditionem cadavericam lapsi, remediorum excitantium ope, illico ad pristinam transierunt valetudinem. Vulgatum siquidem est aliquos cholericos in hora una, aut duabus, spiritus vini camphorati propinatione aut parvae dosis laudani liquidi, resti-

tutos fuisse, quod in nullo contagiosorum morborum casu accidit. Puella, rubeolis non dum expulsis, febre tertiana detinebatur: febri cortice peruviano fugata, rubeolae eruperunt, cursum suum apireticae absolverunt. Observavi juvenem qui, petechiali currente epidemia, peticulis diffusis credebatur affectus; balneo frigido tractatus postridie variolosum inveni: usu remedii, quo utebatur, non interrupto, visae sunt ejus variolae confluentes, discretae factae; attamen balneo reluctante suppurationem inierunt, et curriculum percurrerunt suum. Idem evenit in omnibus aliis exanthematicis morbis contagiosis, pestibus orientali et occidentali non exceptis: Typhos contagiosos curavi innumeros, neminem vidi, qui cursum suum noluerit absolvere.

III. Semel in vita, morbis exanthematicis contagiosis, praecipue acutis febrilibus, corripi homines, vulgare est. Cholera asiatica ter, quater in anno correptos fuisse constat infinitis observationibus. Atque cholericos, currenti epidemia, nisi cautelis, sobrietate aeduliorum et animi pathematum fulciantur, saepissime alteram et tertiam et multas choleras pati, omnibus compertum est.

IV. Cholera uti processus morbosi transeuntes et ambulantes morborum arthriticorum et aphtharum malignarum se patefacit; nusquam ut processus, tametsi diffusi, contagiosorum morborum, qui attamen ubique immobiles et fixi, labores suos, partibus quibus inhaerent, semper conficiunt; et quamquam aberrationes quasdam experiri soleant, aberrationes has minime explicare convenit per modum videndi medicorum, qui-

bus contigit observare. Siquidem si exanthemata ob phlebotomiam, aut ob balneum frigidum, aut ob repercutientia, qualiacumque ipsa sint, evanuisse viderentur, firmissima me tenet opinio, tum aliquarum pustularum, vel macularum dissolutionem, tum earum, quae prius latae erant, contractionem, considerandas esse, tamquam diminutiones processus, remediòrum debilitantium vi obtentas. Neque tussis et peripneumonia, quæ saepe morbum exanthematicum comitantur, vel sequuntur, neque ventris inferioris secundariae, sic dictae, affectiones obstant; quoniam hae, morbi secundarii idiophatici sunt a contagio prima morbi aetate his partibus appulso, tardius tamen evoluti, vita prius alterum opus in cute molienti.

V. Experientia constat eos, qui cubuerunt in lecto cholericorum, materies mucosas excretas abominanter gustaverunt, aegros dira affectos Cholera ingenue tractaverunt, absque infectione discessisse. Tedet me (sinas lector aperte loqui) contradictionum, quae a multis in dies prolatae sunt in observationibus, eas oculorum fallacissimo sensu judicantes, quas ratione, atque animo videre debuissent. Veniet tamen tempus, cum observationibus concinnatis tunc freti, judicium rectum de his alii vel posteri proferre poterunt. Utcumque se res habeat, liceat modo, repugnantibus inter se factis, ad rationis auxilium perfugere, quae analogiam dictat adhibere et alia inductionis philosophicae argumenta. Hisce demonstratur, ut superius expositum fuit, magnum discrimen inveniri exanthematicos contagiosos inter et Choleram: magnum discrimen respectu phaenomenorum, quibus consociantur: magnum ra-

tione curriculi, quod excurrunt: et magnum demum ratione remediorum, quibus curantur; idcirco alituosa et excitantia, quae prorsus venena habenda sunt, quibus non deest reactio in exanthematicis, in Cholerae curatione reactionem provocant et crisim felicem.

VI. Tandem locorum invasorum frustrabili obsidione, etsi adstrictissima, qua nullibi obstante, morbus extra obsidionem propagatus est et popularis factus. Et revera morbum circumquaque obsiderunt primum Moschi, inde Sarmatae, postea Germani, deinceps Galli et Angli; obsiderunt eum Hispani, denuo Galli, inde Itali. Quid tum denique hisce obsidionibns lucrifecerint? Morbus obsidiones irridens peregrinatus est totam Europam. Et nos a feroci morbo, qui nulli parere voluit obsidioni, deludi ulterius patiemur? Dissimulandum attamen non est observationes quae obsidionum vim taxant adhuc repugnantes inter se habere; verum si mea me non fallit opinio, scriptores magis periculum præcavendum sequuti sunt, quam morbi expertem veri contagii naturam. In dubiis tutior pars est eligenda, ajunt, qui providentiam Imperantium, qui morbum exercitu circumsidunt, omnes imitari vellent. Nae ego non parum laudo precautiones quae morbi atmosphaeram claudunt; quoniam si Choleram contagosam non inveni, uti sunt febriles exanthematici; contagio tamen arthritidis, aphtharum malignarum, et anginae putridae grassari posse pro certo baheo.

Morbi curriculum, crises felices aut infelices, prognosis.

Stadia Cholerae plerumque sunt, ut in aphthis malignis et in anginis putridis malignioribus: majorem etiam proclivitatem ad mortem, ingentiusque periculum, ob partes sensibiliores quas invadit, ut est cardias, stomachus, aut pylorus, illic invenies. Urgentiora syncopalia et cardiaca symptomata ei sunt, quibus illico succurrendum valentioribus pharmacis. Vera stadia tamen Cholera non habet; (1) idcirco par non est, quod divulgarunt prudentiores in arte nostra viri et praeterea multi, qui pro praxi nugas et vanas venditarunt theorias. Siquidem distinctio curriculi Cholerae in duo stadia, idest in *algidum* et *reactivum*, reductis, ut mos est apud sectatores contrastimuli, quae praecedunt et quae consequuntur, medium stadiorum tantum exponit. Eodem modo dijudicanda distinctio in stadium *tonicum* et *clonicum*, quae contractionibus clonicis et tonicis in quoque Cholerae stadio fere semper coevis vel alternantibus, minime respondet; neque periodis, quibus singulae evolvuntur; neque demum vitalitatis, quae habentur in morbi curriculo modificationibus. Denique ne valet quidem distinctio Cholerae in quatuor stadia, quoniam stadia propria sunt morborum exanthe-

(1) *Nec curriculum quidem aliquando habet; quoniam experientia evictum est, remediis potentioribus illico adhibitis, aegros ea convalescere celeritate, qua fuerunt correpti. Consule Tommasinium*: Sul Cholera morbus, Nozioni storiche e terapeutiche.

maticorum curriculum habentium necessarium, quod Cholerae omnino deest, ut demonstravi. Ea est, quae vitalitatis positiones, morbi gravitatem, ejusque curriculum et pericula indicat distinctio Cholerae in quatuor species, quae a stadiis diversis, quae percurrunt, nomen acquirunt numerale: 1. Cholera unius stadii: 2. duorum stadiorum: 3. trium: 4. quatuor stadiorum.

Descriptionem phaenomenorum ad Choleram primae speciei pertinentium daturus non Choleram, sed cholerarum clariorem, coloratiorem typum exponere quidem contendam; cujus habendae sunt veluti decrescentes gradationes Cholera alterius speciei, tertiae et quartae. Quamobrem facile erit intelligere, quod Cholerae species tantum differunt inter se, quantum earumdem symptomata gradus explicent gravitatis, ut clare infra videbitis.

Prima species, idest Cholera unius stadii ingruit quasi de repente, aut saltem aegrotus phaenomena, forsan levia per aliquod tempus transacta animadvertere nequivit (1); aperitur dolore acri in cordis scrobiculo, scotomia, praecipiti virium lapsu, signanter cordis et arteriarum, pulsibus obscuris, parvis, frequentissimis, phoenomenis syncopalibus cardiacis, perinde ac si aphthae malignae stomachum vexassent: hinc livor et algor undique, in extremis praecipue, dolores acerbis-

(1) *Aliquando signa prodroma habet, quae attamen variare solent; membrorum lassitudo, vertigo, capitis gravedo, vel dolor, oculorum obfuscatio, respirationis difficultas, appetitus defectio, sensus satietatis, meteorismus ab inflatione anxietas, laevi lateris dolor, diarrhoea, vomitus, vel utrique absque dolore.*

simi, mox contractiones tonicae in brachiis, diri crampi in suris, inde quae totum corpus aggrediuntur, praesertim abdomen ejusque interiora et diaphragma, convulsiones apparent, in aliquibus in emprosthotonum, vel opisthotonum transeuntes. Suspiria inde adeo, gravis dispnoea et saevissimi oppressionis sensus, qui diafragma stringunt, cordisque motus extinguere moliuntur, ischuria, vomitus effraenus et fluxus alvi ingens materierum mucosarum lymphaticarumque; quarum transitu summo afficiuntur aestu fauces et oesophagus, tenesmo et anxietate intestina, anus ardore: anxietate tum ad summum aucta, dispnoea gravissima, aphonia, siti inexplebili, pulsibus tenuissimis, fili formam habentibus, vomitu et tenesmo semper instantibus, frigore marmoreo magis aucto in extremis, hinc per totum corpus constituto, facie hippocratica, tabita paralysi universali, et viribus sensibilitatis exhaustis, aeger jugulatur. Perbreve hoc stadium Cholerae primae speciei, quum horis, una, duabus, quinque, ad summum viginti quatuor compleatur; pergrande vero stadium currunt aegri in positione, qua reperiuntur gravissima. Enimvero morbi malignitas et hostilis actio irritans in cardiae et cordis nervis eo usque vigent, ut cordis et arteriarum reactioni, phaenomenis nervosis, sejunctae, locus non detur: siquidem vitalitas systematis animalis in paralysim commutatur, priusquam in partibus affectis aliqua fiet evidens laesio. Extat interim subdola reactio arteriosa, tametsi debilis, quae monstrat aegrum finire pessima et acutissima febri, faucium ardore, siti inexplebili, et non dubiis malignae phlogosis membrana mucosa stomamachi et intestinorum incumbentis. Pessima mor-

bi species, a qua aeger subtrahi solum potest, quum curationes praesto fuerint in incitanda utili reactione febrili.

Certis signis et symptomatibus observatione compertum est Choleram mitescere, aegrumque ea affectum, meliorem fieri, vel natura moliente, vel subita remediorum cardiacorum propinatione. Haec sunt, quae virium cordis et arteriarum restitutionem nuntiant signa: scilicet calor, qui renovatur in membris frigore algido affectis, convulsiones tonicae leniores factae, quae febri locum cedunt, quaeque pulsus evolvit motibus cordis et arteriarum ea gaudentibus libertate, quam prius aeger non habebat: quae non aderant urinae segretio et sudores calidi et universales, videntur, sistentibus gradatim vomitu, diarrhoea ingenti, tenesmo, et anxietate. Quod evenit, iterum dico, si praesto sint curationes quae febrim excitent, saevissimos dolores, convulsionesque destruant.

Si gravitatem et pericula Cholerae primae speciei quis cholericus effugiet, raro tamen Choleram duorum stadiorum vitabit, quippe quem tutata est febris quae aliquod curriculum exequi debet. Hinc videbis morbum in duobus stadiis disjunctis evolvi. Vitalitate enim primo stadio non exhausta, pathologicus processus ad struenda opera sua tempus habet; nec non natura, aphthosae arthriticaeque conditionis, diluentibus, balneis calidis, cardiacis, oleosis suffulta et ipsa tempus habet, ut cociones utiles et crises operetur. Extat attamen Cholera duorum stadiorum primitiva, quae ob deficientiam urgentissimorum phaenomenorum labores suos in duo stadia distincta dividit, symptomatibus nervosis primum, febri alterum constituit. Morbum vero, qualiscumque fuerit tamquam genus considerare placet, ex quo series

perlonga saepe nascitur malorum. Quod si febris suum initium cepit a symptomatibus nervosis in Cholera duorum stadiorum, a febri initium capere possunt alii processus pathologici, qui aegros secundae speciei cholera affectos, ad Choleram tertiae et quartae speciei certo ducant. Aliqui e. g. tentantur statim ac febris incepit, vel quum facta fuerit contentiosa, oculis et cerebro sanguine plenis, apoplexia jugulari; alteri haemoptoe et pulmonia; alii aliis insidiis vitalium organorum structuram aperte minantibus. Omnes hi, quum primum evaserint stadium, crises felices, febri quae subsequitur, secundo stadio non habent; verum ad tertium et ad quartum stadium transeunt ob processus secundarios, quos Cholera struit in partibus, in quibus primum aut alterum stadium laesiones iniit.

Hoc modo Cholera trium stadiorum locum habet, vel ob curationes tardius adhibitas, vel ob praecedentium morborum reliquias, quae in organis praecipue affectis se impresserunt, vel ob organismi aliquae partis naturalem imperfectionem; quaeque vario modo procedere debent prout varia organa processibus secundariis inserviunt. Æger saepe in discrimen adducitur per modum febris nervosae, ad quam pertinent delirium coma et pulsus morborum hujus generis. Aliquando subjicitur aeger successionibus disenteriae, lienteriae, aut morbis vesicae, quae inflammatione, ob ischuriam primo vel altero stadio habitam, affici potest. Et ut alias omittam successiones, medico qui curam suscipit indagandas, po-

test Cholera crises suas exequi , arthritide , et aphthis, in articulos aut in carnes delatis. Quod magis rectum , magisque ordinatum et tutum curriculum monstrat.

In quoque casuum supra descriptorum, quale an sit, aut breve, aut longius iter aeger peragrare debeat, ignorare solum scio , medicinae mittens professores ad facta , ut morbi modificationes observent , prudentia , qua assueti , eas curent. Nullam attamen curam aliquem peragere certo puto , nisi vires aegri alat ad morbi labores substinendos, qui quandoque longissimi sunt.

Cholera quatuor stadiorum, primitiva est et secundaria uti quaedam aliae Cholerae species. Secundaria jam exposita , de primitiva paucis. Eam non vidi , nisi quum cholericus graviora symptomata atque urgentiora non sit passus: siquidem haec cholera non aegri vitae, sed levioribus phoenomenis quibus stipatur , vitae futurae insidiatur : vel Cholerina ea est, vel a cholerina ejusque symptomatibus initium sumit : neglectis minutiis, haec sunt: oris sordities pituitosa , vomitio reiterata , vivax sensus ponderis in scrobiculo cordis et tormina intestinorum saepe inter se alternantia quae per hebdomadam, vel per duas , aut plures leniter aegrum affligunt ; quaeque curantur emeticis epicratice sumptis, diluentibus aliisque lenibus remediis. Accedit aliquoties febris, quae saepe morbi curriculum corripit.

Habet attamen cholera quatuor stadiorum suas complicationes , suasque positiones, in quibus aegri ma-

gis excruciantur , periculumque aliquod subeunt. Quod causis supervenientibus vel omnino debetur , vel pathologicis conditionibus, quae antea latebant, Cholerae cursu exacerbatis.

Sunt certo alia symptomata, quibus Cholera conjungitur , quaeque minime descripsi , fisus , negotium ea deficientia meum non pessumdare : multaque phoenomena , etsi descripsi , aliquando desunt, ut in Cholera *sicca* Quino observata , in qua non sunt evacuationes, neque vomitus , neque ventris , quod bonum non est : aliquando ventris fluxu instante , deest vomitus , et contra : varietates hae quae morbi naturam non afficiunt , distinctiones subtiles divulgatas non substinent , rationem medendi certo mutare non possunt.

Medicis qui salvos videre cholericos primo aut altero Cholerae stadio , exigua fuisse cura videtur de omnibus aliis morbis , in quos Cholera, praecipue cum neglectae fuerint primae curationes , multoties transit. Enimvero mirum est in tanta scriptorum copia , quibus non defuit , neque ingenium, neque voluntas, paucissimos se addixisse, non dicam scrutandis , verum nominandis tantum Cholerae successionibus. De iis praesertim sermo est, qui priusquam Choleram asiaticam vidissent, de ea aliquid pernoscere venditabant ; verum postquam illam observaverint, nullum siquidem ipsis superfuisse patrandum judicium, ultro confitentur(1). Comprobes necesse

(1) *Filiatre Sebezio. Fascic. 58 pag. 232.*

est suas Choleram habere successiones, si nolis adversari firmissimis medicinae dogmatibus, ipsique naturae ordini. Siquidem quum Cholera haemoptysi, ob sanguinem in pulmonibus retentum, vel hepatiti ob bilem, vel arthritica carnium aut articulorum jactura consocietur, impossibile videtur non experiri in partibus phoenomenorum aliquam concinnatam seriem, quam processum Cholerae secundarium considerabis. Et quum venae cerebri, ob Choleram, sanguine turgescunt non suo, nemo inficias ibit, apoplexia aegros tentari posse, quod aliquoties accidisse, sine ulla dubitatione assero. Maximum ergo operae pretium duco, ramos hosce magni morbi, per quam longissimos colligere, atque scrutari.

Pro parte mea qui Choleram asiaticam non vidi, non alio modo rem expediri posse existimo, quam observationes Cholerae nostralis ad trutinam revocando, easque concinnando, ut colligas quae quaeris. Si Cholerae sporadicae et asiaticae omnia sunt profecto assimilia symptomata, pericula et medendi rationem, ab una quis alias discere vetet? Et medicus, qui majorem impendit vitae suae partem ut observationibus in tot magnorum virorum antiquis operibus constitutis ditesceret; denique, quasi nullo inservientes negotio, in stabilienda cholerae natura et curatione praetereundas esse, atque omnino non usurpandas putabit? Interea Choleras nostras observavi et curavi multas: multas curarunt auditores olim mei, nunc prudentes medicinae doctores, cholerae asiaticae plane similes, iisdem symptomatibus, iis-

demque interdum periculis consociatas: expers periculi, mente non exacerbata, ut oportet fuisse in observatoribus cholerae asiaticae, videre forsan potui quod ipsis latuit; tempus duravi ut ea colligerem, quae ii negligere debuerunt. Iterum dico ipsis non defuisse voluntatem observandi, defuisse tempus; quum in epidemiis pestilentialibus, ob terrorem contagii suscipiendi, medicus quisque fugientes exequitur observationes et rursus parum scientiae progressui proficuas.

Exemplum cholerae primae speciei.

Leonilda de Marinis, nobilis, innupta, sexagesimum annum vix attingens, summis sensibilitatis et irritabilitatis viribus praedita, erroribus victus et aeris familiaris, cholera correpta, dolore cordis, vomitu et diarrhoea effroeni angebatur: inde livore cutis, et frigore marmoreo, praesertim in extremis corporis partibus, pulsibus frequentissimis et intermittentibus, leipothymiis saepissime reiteratis, sudore algido, ischuria, et mente stupida. D. Ioannes de Giorgio, medicus in auxilium advocatus, mixturam cordialem, in qua opium et spiritus antiparalyticus majorem exhibebant vim, praescripsit epicratice propinandam: sed quum parva remedii sorbitio vix linguae admoveretur, vomitus et alvi fluxus magis magisque augebantur, et fere incoercibiles facti sunt: convulsionibus denique tonicis adjunctis, praecipue in suris, faucium ardore, lingua

arida, et facie hippocratica, proximo vitae discrimine laborabat, ut adstantes ad Religionis solatium perfugerint. Advenit illico Parrochus, qui observans aegram, putat veneno peremptam fuisse; paullo post sensit eam truculentissimo conflictari morbo cholerico. Accersitus, ad eam meridie perveni; et cum reperirem curativum regimen probandum, usum proferendum esse judicavi eorumdem remediorum cum laudani liquidi Sydenhamii drachmae dimidiae additione, quae efficaciorem tantum faciebat curam: aegra usa est partitim hisce remediis per horas quatuor, stomacho non reluctante; post, calor videbatur renasci, somno per quam levi aegra capta, non amplius querebatur de convulsionibus et de doloribus, qui torquebant abdomen et articulos; dolor cardiacus imminutus, vomitus et fluxus alvi longioribus renovabantur periodis; inde desistentibus omnino convulsionibus, sudor calidus et universalis, urinarum segretio et excretio apparent, ut aegra plane convaluerit. Conquerebatur tantum de summa virium inopia: jusculis carnis taurinae, vino amineo, et eorumdem remediorum non interrupta propinatione, licet minori quantitate, adeo refecta fuit ut potuerit lectum deserere. Attamen ab aeris temperaturae mutationibus, doloribus, signanter surarum adhuc afficiebatur. In hoc casu Cholera in novem horas curriculum suum absolvit.

Alterum exemplum Cholerae primae speciei.

Sylvius, puer annorum quatuor, ex spectabili familia de Blasiis, sanguineo praeditus temperamento, noctis dimidio a Cholera prehensus; dolore cardialgiaco, vomitu, et fluxu ventris, quibus rejiciebat primo cibos indigestos, postea humores serosos, cruciebatur; parvis periodis vomitus et alvi fluxus ter reiterantur, abdominis et artuum atrocibus contractionibus, pulsibus frequentissimis, sudore algido, frigore marmoreo, enuresi, siti ardente, oculis cavis, facie cholerica, singulti et virium prostratione sociati. D. Hyacinthus Felsanius doctus medicinae professor qui apud puerum erat, mixturam ex laudani liquidi scrupulis duobus, camphorae granis sex et aliis excitantibus remediis confectam exhibendam epicratice praescripsit: duobus exhibitis cochlearibus, vomitus, qui videbatur quiescere, rennovatur, melior attamen et levior factus; paulo post aliis duobus cochlearibus exhibitis, convulsiones, fluxus ventris, frigus et alia morbi symptomata gradatim cessarunt, somno, traspiratione, et sudore universali. Credidit doctus medicus Felsanius per aliquod tempus continuanda esse remedia, licet haec post horas quindecim aegrotum plane restituissent.

Exemplum Cholerae alterae speciei.

Fortunata Schiena annorum circiter 57, mater, melancholico temperamento, jam decem annis ca-

tameniis orbata, ob animi pathemata deprimentia, et ob causas rheumaticas Cholera correpta est: ischuria, vomitu lymphae acescentis, summo ventriculi ardore, anxietate, debilitate, et in cordis scrobiculo dolore, qui manus pressione ad summum augebatur, laborabat: noctuque diuque haec passa est symptomata: alipta in auxilium vocatus venae sectionem instituit, qua debilitas magis aucta est, jactationes maximae fiunt, et vires ultra modum atterens ventris ingens fluxus. Arcessitus, vespere ad eam perveni: aderant praeter symptomata superius notata, oris sordities aphthosa, lingua muco albo densoque obtecta, magnus ponderis sensus ad stomachi regionem, facies collapsa, et comate videbatur laborare, etsi pulsus febriles et frequentiores essent, parvi et inferiores, ut dicunt: affines et familiares putantes in magno esse vitae discrimine ad Religionis auxilium confugiendum rati. Solutionem salinam, in qua duo grana tartari stibiati, nitri puri et florum solis ammoniaci ana scrupulum extabant, epicratice subministrandam praescripsi, atque emplastrum vesicatorium ad stomachi regionem applicandum: quodque absolutum magno aegrae levamine fuisse, die altera animadverti. Siquidem alvi fluxu et vomitu quasi homoepathice excitatis, magna lymphaticarum et mucosarum materierum fuit reddita, et magna copia gelatinae vesicantis ope erupit: dolore stomachi inde lenito, sensibus restitutis, urinarum excretione et sudore universali, aegrota convalescere incepit. Tertio die cibi animalis tantusculum quaerit, et

vini generosi cochleare, quod fuit concessum ut ejus vires reficerentur. Quarto die maxima laborabat virium debilitate, praesertim stomachi: adhibitis bis in die chinaechinae decoctionibus, alimentis reficientibus et analepticis, in sex dies restituta fuit: demptis quatuor convalescentiae diebus, paroxismus cholericus biduo curriculum suum absolvit.

Alterum exemplum Cholerae ejusdem speciei.

Irenes Calore, mater, octogesimum annum agens, sanguineo temperamento, aetate decrepita non obstante, adhuc suas exercebat deambulationes, resque familiares laeta fronte administrabat; ob victus errores cholera capta est, quae sensu ponderis in cordis scrobiculo, contracturis dolorosis circa stomachum, vomitu, inde diarrhoea laborabat, qua ingens serosarum materierum copia educebatur: per horas quindecim hisce symptomatibus obnoxia fuit. Arcessitus Vincentius Viscius, medicinae doctor, praeter ea quae ipsi exposita fuere, aderant febris, lingua rubra et arida, venter murmurans, sitis ingens et ardor ventriculi cum anxietate. Contra phlogosim entericam remediis antiphlogisticis, glacie, posca frigida abdomini imposita pugnare ratus est. Verum hisce remediis morbus ultra modum exacerbatur: convulsiones tonicae in brachiis et in suris accedunt, augetur anxietas, tenesmo molestissimo aegra angitur, vires magis magisque prosternuntur, oculi humiles fiunt atque arescunt; et tempora collapsa, facies hippocratica, et

pulsus frequentissimi et intermittentes vitae terminum praedicebant proximum. Parrochus aegrotanti jam praesto erat, quum venit iterum medicus Viscius, qui videns magnum vitae discrimen, ad potiones cordiales et opiatas perfugere coepit: quae remedia epicratice adhibita aegrae aliquid levaminis attulerunt: sed non convaluit, nisi propinato electuario peruviano Fulleri, concilio medicorum constituto. In duos dies curriculum suum absolvit morbus; et eodem modo, calore renovato, sudore universali, omnia morbi symptomata evanuere: debilitas virium tantum superstes fuit, quae corroborantibus et analepticis debellata locum dedit firmae valetudini.

Exemplum Cholerae tertiae speciei.

I. D. S. Ex Procerum perillustri familia, annorum circiter 35, sanguineo praeditus temperamento, quum domum rediret subiratus, de repente diarrhoea et vomitione corripitur; et primum ptysanam, quam jam biberat, postea album humorem vehementi spasmo reijcit: vomitus autem intollerantem stomachi restrictionem afferebat, quae omnino in abdomine profundebatur. Initio morbi aeger loqui et ambulare poterat; at ubi ad cholericos spasmos, musculares contractiones accesserunt, animo concidit, tantos edidit clamores, tantae fuere anxietates, ut vix lectum ferre posset. Tertia hora pomeridiana accersitus doctus medicus Ioannes Battista Meola, haec invenit symptomata: torvus aspectus, et terrei coloris, oculi im-

minuti et demissi, caerulea circumdati zona, lingua, in medio denso muco obtecta, circum subrufa, rabida sitis, anxietas, in praecordiis satietatis sensus, in extremis corporis partibus torpor, manuum ungues, pro dimidia extrema parte, nigrescentes, ischuria, pulsus parvissimi, et obscuri, corpus algidum. Ætiologiam morbi scrutans, transpirationis erroribus, morbum tribuit.

Primo, hirudinibus ano applicandis morbum curandum proponit, quod aeger exequi noluit; deinde frictionibus aquae coloniae a cervice ad sacrum, et epigastrium unguento belladonnae; atque interne exhibuit aliquas liquoris anodini guttas et laudani liquidi Sydenhamii inter se alternantis, geluque conjunctis. Inde balneum calidum parari jussit. Dum haec fiebant, aegri stomachus crampis acerbissimis corripitur, qui ad suras et ad brachia percurrebant dolore ad summum aucto. Neque aliquid levaminis obtinere asserit a remediorum propinatione; verum constrictis adstantium manu suris et lacertis, confitetur, contractiones dolorosas leviores esse factas: balneo calido omnia symptomata evanescunt. Quarta hora pomeridiana paroxismus cholericus recurrit iisdem stipatus symptomatibus, gravioribus redditis torminibus intestinorum, tenesmo et vomitu: aeger animadvertit marasmum, quem morbo cholerico patiebatur, ex eo quia annuli sponte e digitis labuntur, et ex torpore et macie universali. Altero balneo calido, melior est illico factus, ut potuerit bibere sorbitionem aquae stomaticae Barii. Et quum ani-

madvertisset medicus hoc remedium, vomitum non ciere, majorem quantitatem exhibere praescripsit; quod fuit absolutum magno aegri levamine. Septima hora pomeridiana paroxismus cholericus reiteratur, attamen evacuationes quae ventris fluxu et vomitu habebantur, minores fiunt. Tertio utitur balneo utilissimo. Emplastrum vesicatorium ad stomachi regionem admovendum esse, convenit cum aliis medicinae doctoribus arcessitis in auxilium, quod non parvum adjumentum induxit. Decima hora redit levis paroxismus, febre exacerbata, pulsibus evolutis, aliis symptomatibus levioribus factis; attamen utitur alio balneo calido cum pari levamine. Solutis interea doloribus, spasmisque tonicis quasi omnino cessantibus, vomitus et fluxus ventris adhuc vexabant aegrum, etiamsi leniores facti, et vexabat ischuria. Tandem post quintum balneum, somnus qui sequebatur et sudor universalis monstrabant aegrum ad convalescentiam appropinquare: inde tertia nocte urinarum segretio et excretio apparent ita ut aeger meliorque semper factus cibum aliquem sumere potuerit, et profunde dormire. Contracturae tonicae et dolores in suris manebant, quasi hisce sedibus processus secundarios minabantur; quod evenit. Siquidem in convalescentiae, sic dictae, periodo, quam ultra hebdomadam durare observavi, aeger semper conquerebatur de contracturis dolorosis in brachiis et in suris, quae inde ad pedes transicrunt, hinc phlogosin arthtriticam evoluentibus.

Alterum exemplum Cholerae tertiae speciei.

Camilla ex spectabili familia Feoli, innupta, annorum circiter 26, a multis annis doloribus ventris obnoxia, cholera prachenditur, cruciatibus circa stomachum intolerabilibus, vomitu, et diarrhoea, quibus edebatur magnus serosorum humorum cumulus, vertigine, convulsionibus tonicis in lacertis et in suris laborabat; ejus pulsus erant frequentissimi, leipothymiae reiterabantur brevissimis periodis, et frigidum ei erat totum corpus. Arcessitus doctus medicus in auxilium Franchus Rosatius, ne familiae terrorem incuteret, colica dixit laborare; balneolis supra abdomen aqua et aceto compositis uti debere jussit; praeterea potionem ex aqua theriacali, syrupo papaverum, sale sedativo Hombergii, aliisque remediis formatam praescripsit interne et epicratice adhibendam: postridie ad eam perveni: morbi praesentis antecedentia scrutans, erroribus traspirationis choleram tribuere debui: aegra doloribus arthriticis angebatur, aderat febris, quaeque nocte superiori acerbior fuerat; lingua muco albo denso, fere aphthoso obtegebatur, vomitus et ventris solutio instabant, leipothymiis frequentissimis sociati. Mixturam ex extracti opii aquosi granis duobus, aquae cinnamomi et menthae piperitae ana unciis duabus et syrupi corticum citri uncia una constitutam praescripsi diu noctuque et epicratice propinandam una cum jusculis carnis taurinae; atque balneum calidum addendum utendumque si dolores et tonicae convulsiones non desi-

sterent. Hoc altero die Cholera remediorum ope tam melior facta est ut a balneo se abstinere potuerit. Tertio die mane ad aegram redii, ut mutationum nocte habitarum cognitionem susciperem, et de regiminis curativi reliqua parte disponerem. Crampi dolorosissimi, qui stomachum cruciabant, leniores erant, leniores evacuationes, quae habebantur vomitu et fluxu ventris, algor minor; verum febris ardere majori impetu, quam antea videbatur: oris sordities aucta, et linqua densiori obtegebatur muco aphthoso. Salinam solutionem praescripsi, in qua tartari stibiati duo grana; nitri puri et florum salis ammoniaci āā scrupulum unum; aquae stillatitiae florum sambuci libra dimidia et sirupi violarum uncia una et dimidia extabant; et epicratice sumendam per diem disposui, reiterandam attamen per noctem mixturam opiatam, qua pridie usa erat: evacuationes horum remediorum ope denuo excitatae, magnam materierum mucosarum copiam emiserunt, miro aegrae levamine. Quarto die quum ad aegram revertissem, linguam nondum repurgatam inveni, neque oris sorditiem plane expeditam. Iterum vomere oportet, aegrae dixi, siquidem non integre materies aphthosa membranam mucosam amiserat: eam avellere materiem, hoc unum porro necessarium puto, hypecacuanhae parva quantitate, motum inversum, quo Cholera antea utebatur, denuo ciendo. Non parvam muci quantitatem rejicit aegra maxima utilitate. Quinto die apireticam inveni quaerentem aliquid alimenti ut restaurarentur ejus vires: quod fuit concessum cum sorbitione vini ami-

nei ipsi familiaris. Sexto die convaluit : conquerebatur tantum de fugientibus doloribus ventris, quibus obnoxia antea erat.

Exemplum Cholerae quartae speciei.

Sacerdos I. B. F. annos habens 26, sanguineo-melancholico temperamento, longus et quasi macie confectus, quum rusticaretur Resinae, febri levi gastrica rheumatica corripitur, ad vomendum incitamentis, et leni ventris fluxu, levissimis et fugientibus intestinorum torminibus stipata ; morbo per hebdomadam laboravit, nullo modo emeticorum catharticorumque ministerio absoluta : diffidentia medicorum illuc degentium, non probe captus, redux Neapolim, illico me arcessit, ut curationis onus susciperem: aegrotum quum videre nequivissem in diem, postridie mane lecto jacentem inveni : recitavitque quae superius exposui: de crusta alba corii instar densa, qua lingua obtecta erat, conquerebatur; quippe quae ab initio diluentibus, frigidis, lenientibus parere noluit ; praeterea gutturis strictura, faucium phlogosi erythematica, vomitionis conatibus saepe reiteratis, sensu ponderis in cordis scrobiculo augebatur. Emetica paullatim adhibenda suasi, ut materies aphthosa eliminaretur : altero die diluculo revisus, cruciatibus cardiacis, vomitu, alvi ingenti fluxione, surarum crampis correptus, frigore universali, algoso sudore, leipothymiis frequentissimis, pulsibus evanidis, suspiriis, suffocationis sensu detinebatur; cho-

leram pati, minime dubitavi: balneis calidis, cardiacis, et aliis excitantibus remediis curam illico suscepi; et ordine constituto, quo aeger uti debebat, discessi: ad aegrum reversus die tertio vespere, symptomata cardiaca et syncopalia facta esse leviora, inveni, vomitus tamen et sensus ponderis comprimentis in ore ventriculi instabant: tunc statim solutionis tartari stibiati epicratice propinandae copiam, atque extracti opii aquosi grana duo, in aquae menthae piperitae unciis duabus et syrupi corticum citri uncia una soluta, pro serotino usu et epicratice praescripsi; adhibitis remediis aeger multum obtinuit levaminis, evacuationibus, quae superius et inferius habuit; verum crusta alba, linguae et gulae asperitas, de quibus aeger assidue conquerebatur, adhuc illum vexabant etsi leniores factae. Quarto die continuandam curam remediorum resolventium suasi, et nunquam ab eorum usu desistendum, donec lingua et fauces plane repurgarentur. Æger tartari stibiati solutione usus est per duos dies, qua crustae albae lingua inhaerentis attenuationem gradatim obtinens, melior inde factus, septimo die, hilari vultu me recipit, fidentiae aliquid Medicinae concedens, quae post tot tantosque labores, remedium tandem invenerat, morbos suos debellare valens: quaesivit jusculum carnis et concessi: aliquid attamen durioris alimenti ipsi dandum existimavit alter medicus, quo sumpto, illico turbatus est aeger, febre exacerbata et ardoris intestinorum sensu molestissimo; quod omnino alimento sumpto non tribui. Siquidem

processum secundarium cholera jam fecerat in intestinorum membrana mucosa et in vasorum orificiis ad eam pertinentium, unde derivabatur magna sanguinis copia, reiteratis leipothymiis, sudore algoso, et facie cadaverica, quae in magnum vitae discrimen aegrum adduxerunt. Sollicite revocatus ad aegrum revertor, statim aquae stipticae uncias duas epicratice sumendas in hisce morbi anomaliis periculosissimis, praescripsi. Haemorrhagiam stiti per duos dies, et hilariter vidi aegrum et familiam ad eum pertinentem, spem vitae recuperasse; quoniam videbantur omnia absoluta. Eventus attamen monstravit morbum subdole labores suos exercere in intestinis; siquidem reiterata haemorrhagia, ingentem sanguinis vivi coloris copiam aeger amisit, syncope et maxima virium adynamia, quae ad extremos vitae terminos illum attulerunt: tres uncias aquae stipticae sumendas in diem jussi, et lactis asinini copiam bibendam etiam partitis vicibus: haemorrhagiam coercui per tres alios dies, inde renovatur iisdem symptomatibus et periculis. Sed omnem plane spem salutis non abjieci; aquam stipticam interne sumendam assidue et per clysteres in intestina immittendam, statui; dietae lacteae usu, et balneis frigidis super abdomen impositis, aeger per sex dies non amplius haemorrhagia vexatus est: vires aliquantulum restaurabantur, aeris et habitationis mutationem praescribo, quare aeger restitutus est.

Cholerae successiones.

Cholera quae ultra tres aut quatuor dies duraverit,

quos struxit, veris processibus secundariis certo innixa, novum currit iter, quod varium esse debet, processui tamen secundario omnino respondere solet. Non enim contagii cholerici viribus veri processus secundarii debentur, ut illos existimare queas tanquam primi morbi productiones et motus a motibus derivantes, ut dictum est superius, et omnes tanquam partes quae sequuntur ad unum morbum pertinentes. Morbi secundarii Cholerae ii sunt, qui conditione pathologica sua suffulti aliud excurrunt curriculum, a contagio cholerico, ut a causa remota tantum derivantes. En morbi primitivi ramos quos symptomatibus vel diu aliquam partem vexantibus, vel nimis vehementibus, morbus ipse alibi transerere solet, progeniem faciens malorum. Quod perpendere maxume interest.

Meo quidem judicio fere omnes veri morbi secundarii, quos Cholera in suis successionibus producit, ab una pendent conditione, ab ingentibus evacuationibus, atque a nimia vasorum inanitate, scilicet a sanguinis aliorumque humorum ariditate atque deficientia. Quantum possint ariditas atque humorum deficientia ad producendas stagnationes, medicis *stases* dictas, pernoscere certo debet, qui leges circulationis recte perpendit. Notum est vasorum vitam, aliorumque organorum, cavitatem aliquam habentium, magis stimulis moderari indirectis quam directis; et physiologis omnibus consentientibus, aliquam plenitudinem stimulorum, humorumque organis ipsis necessariam esse, ut suas functiones rite peragere possint. Cholera suis profusis evacuationibus marasmum indu-

cit, humores omnes destruit, mucum, lympham, adipem, et sanguinis serum quod ejus fluiditatem substinet. Quo circulationis vi monarchica quasi extincta, tantae nascuntur particulares et anarchicae circulationes, quantae fiunt portiones, in quas una atque indivisa circulatio fracta est ob inanitatem et distributa. Hinc humorum stagnationes ortum ducunt, quae in aegrotantibus, quibus vitae aliquantulum superest; conditiones pathologicae irritantes sunt, unde reactio atque naturae medicatricis conamen fluunt. Omnes inde febres, omnesque aliae formae nosologicae quae habentur ultra curriculum quod sibi Cholera constituit, quaeque conditionem pathologicam, quae extra stomachum sit, circumferunt in ipsius successionibus, a suis morbis secundariis oriuntur, ipsisque sunt symptomata atque effectus. A causa morbida, quam eis Cholera paravit, ut supra dictum est, proxime nascuntur. Hoc modo Cholera, malorum mater, secundaria certo non est, quia suam inchoavit iliadem a causa morbida vel externa vel interna, a nullo alio morbo suppeditata; secundarii vero initium suum capiunt a causa quae semper interna est et a Cholera suppeditata morbo quae praecessit. Progenies quidem malorum est Cholera morbus, omnisque alius, aliquibus exceptis, qui brevi sterilitate finiuntur. Quae notiones pathologicae non latuissent Tommasinium, si aliorum scriptorum opera, etsi ad contrastimuli sectam minime pertinentium non legere simulasset, in unum tantum propositum nunquam artis, sed artificis incrementum studens, et cum sectatoribus suis solum disceptare cupiens. Domi meae ab ipso provocatus

Tommasinio, qui forte apud me venit ut ad contrastimuli sectam revocaret, Epistolam apologeticam scripsi, typis evulgavi, et Italiae nunc nimis notam, ad eum misi, in qua de Diathesi dynamica universali satis argumentatus sum: nulla fuit responsio, nulla inter nos disceptatio, quia contrastimulum eruebat, doctrinamque suam, falso italicam appellatam, e fundamentis evertebat; quamobrem disputationes mecum vitando, aliquo tempore duratura ejus comenta non injuste putavit. Tempus tamen venit, quo intelligere tandem necessarium fit, *reactionem*, quam sibi ignotam, mysteriis involutam, latentem semper, semperque dixit, divulgavitque, latentem minime esse, sed claram patentemque semper. A sensibilitate quae maxima fit ob stimulorum defectum in algidi stadii curriculo, et a stagnationibus, quae ob maximam debilitatem hic, illic fiunt, quaeque irritantes sunt internae conditiones, ortum ducit suum; irritationis ille etiam est reactionis status, aliquando compescendus, raro hirudinibus atque phlebotomiis, numquam deprimentibus, sed balneis tepidis, diluentibus, mucilaginosis, oleosisque, ut infra dicemus.

Et intelligere tandem opus est, remedia debilitantia stadio algido Cholerae exhibita non ab ipso sed ab ejus sectatoribus, ansam praebuisse, ut status reactionis, qui forte subsequutus est, fuisset ultra modum contentiosus, ideoque compescendus. Quod si cholericum stadio algido affectum curavissent remediis stimulantibus diffusivis, parcissima semper manu adhibendis, reactionem nimis contentiosam non habuissent;

quippe quam gradibus debilitatis semper respondentem videre est. Praeterea reactionis opus aliquando minuendum esse non abnego; verum reactionem febrilem minuere idem non est, ut Tommasinius putat, vitae vires deprimere, immo vero vitae vires est alibi divertere, est vires augere atque aegrum a symptomatibus morbi, idest a laboribus suis relevari, stimulantibus lenissimis, balneo tepido, lenientibus, diluentibus, oleosis, mucilaginosis, quibus indiget qui humoribus suis expoliatus fuit aeger a Cholera. Desinat tandem illustris atque perdoctus Professor, remedia, quae superius enumeravi, desinat tandem calumniari, in iis vim contrastimulantem et deprimentem pernoscendo, quae nusquam fuit. Reactioni febrili, Cholerae aegrotantibus optatissima, comodissima sunt atque pernecessaria; sed enarrata remedia minime contrastimulandi pollent potentia, quae chimera est: ea sunt lenissima excitantia sensibilitati quam maxime auctae, debilitatique a Brunone dictae directae accomodatissima, et aegri veris indigentiis, quique humoribus expers, in specie requisita. Si Tommasinio adstipulemur, sitis ingens non expleta, quae syncopem sitienti minatur, hirudinibus atque phlebotomia curanda; quia ipsa sitis augmentum sistit vitae, idcirco potiones frigidae, quae ad eam extinguendam adhibentur, contrastimulo operantur. Pudet enarrare. Potiones quae ad sitim extinguendam propinantur, tametsi aquae frigidissimae atque nullo aromate confectae, eae sunt excitantia specifica quae fluida vitae dant quibus reapse indiget: Vitae vires ideo augentur potio-

nibus, si ipsas aegri desiderent, ut facta plane demonstrant.

Ad morbos Cholerae secundarios ut revertar, in primis considerandum mihi est, quod, his constitutis, excitantibus valentioribus remediis nullus potest esse locus, verum lenissimis reficientibus semperque diluentibus. Ratio ea semper est: virium enim debilitas et reactio in Cholera, uti in aliis morbis, coeunt semper in quoque stadiorum: in algida accessione maxima adynamia et reactio spasmodica dolorosa: in accessione quae subsequitur, minor adynamia et status febrilis: in processibus secundariis minima adynamia idest atonia et symptomata quae iis respondeant, una inter se congregantur. Quod post Brunonem qui primus hanc divulgavit veritatem, Ianniniusque demonstravit, Tommasinius intelligere noluit, ut juventae jam ob contrastimulum inversae arrideret, atque apud vulgus quod ejus methodo medendi utebatur, magis publicaretur. Cholericus non extitisset, neque processus secundarii Cholerae essent, quin debilitatem maximam atque adynamicam semper brevi duraturam, medici vel natura curassent. Morbi secundarii diathesi adynamica peracuta minime suffulciuntur, sed simplici atonia, ideoque levibus excitantibus curationem efficere oportet. Multorum ergo verborum vanitates sunt, quae divulgavit aliquis contrastimuli sectator atque protector de noxiis opii effectibus, aliorumque excitantium remediorum in Cholerae curatione adhibitorum. Caeci de coloribus judicare nequeunt et caeci ipsi reapse sunt, si opium, aliaque excitantia remedia

propinare, stadiisque Cholerae diversis, ejusque morbis secundariis nullo modo aptare sciunt.

Phlogistici sunt Cholerae morbi secundarii ad gangraenam, ad suppurationem, et organorum duritiem, paralysimque forte vergentes. Si metuendam gangraenam vitare interdum cupis, cave ne aegrum medicis contrastimulantibus committas: hi enim phlebotomiis reiteratis, adynamiam, quae victa erat, revocant, cum ipsa ad gangraenam propensionem. Si attamen parvis sed iteratis phlebotomiis aeger submittitur, tunc contrastimuli sectator ad creandam organorum morbosam duritiem, paralysimque operatur. Ad suppurationem tandem eunt aegri si eorum vires conserventur, partesque, quibus insidet processus cataplasmis emollientibus tractentur.

Eorum curricula, unicuique proprium uti est, discurrere vellem si Commentariolo conveniret; liceat nihilominus ea nominare, in specierum notis morari, ut doctrinam qua perpendi possunt, statuam.

Typhoides febris oritur a Cholera, quae a sanguine in neurilemis stagnante atque coagmentato originem sumit: pessimum morbi secundarii genus, balneis calidis, antimonialibus, mercurialibusque tractandum.

Arthritis, quae a fibrarum muscularium tunica atque dilacerante contractione derivatur. Visum est enim in aliquibus contractiones tonicas et crampos dolorosos ultra mensem durare, neque desinere nisi arthriti in pedibus excitata, quae omnes morbi reliquias ad se traxit, maximo aegri emolumento.

Pulmonitis, quae cordis maxima strictura, et

summa respirationis difficultate, sanguine inter cor et ramos arteriae pulmonalis detento, fit.

Epatitis, ob bilem spasmis retentam, sanguinemque arteriae epaticae et venarum coagmentatum, nascitur.

Cystitis, quae ortum ducit ab urinae detentione, atque ab ejus insolita densitate.

Quamquam phlogoses sint omnes enumerati Cholerae processus secundarii, phlebotomiis attamen reiteratis non sunt curandi, nisi in quibusdam at rarissimis occasionibus; neque pulvere Iamesii tractandi qui quum obstaculum quoddam inveniat, quod circulationem coerceat, partes affectas novo stimulo irritante afficit, multum ob id damni inferre potest: frictionibus mercurii, emplastro vesicatorio ad partes admotis potius curandi, et reficientibus atque analepticis.

Morbi doctrina.

Quo referrem Choleram ad miliarem ne morbum, an ad putridorum atque malignorum morborum genus, haesi usque dum argumenta quae concinnatae observationes mihi attulerunt, rem extra dubitationem expeditam posuere. Aliqua observata certo extant, quibus constare videtur exanthemata miliaria in cholericorum cutè aliquando apparuisse; verum plerique eruptiones illas ne considerarunt quidem; ut sudoris algidi stagnationes habendas alii crediderunt uti accidit in plurimis aliis morbis sudore profuso stipatis, quod nulli dubium esse potest. Cholerae attamen praeter id non deest aliquid ad febrem miliarem exanthema-

ticam pertinens: e. g. suspiria, summa pectoris oppressio et difficultas spirandi, cordis strictura, pulsus frequentissimi et aliquando periculum ingens videntur in febre miliari et in Cholera: desunt attamen omnes aliae notae, quae miliarem morbum distinguunt; inter alia, curriculum necessarium quod numquam fuit in Cholera, semper invenitur in morbo miliari.

Caeterum dubia proponendo iter tantum patefieri puto magnis ingeniis, ut laboribus labores adjiciendo ad scopum tandem pervenire possint.

Longa edoctus experientia in morbis adynamicis putridisqne curandis, magnam videre visus sum analogiam Choleram inter et anginam putridam, aphthasque malignas et arthritidem anomalam. Etiam nunc praxis medica non alios novit morbos, qui Cholerae asiaticae persimiles essent, symptomatibus, acutissima natura, periculis, materia morbida et curatione spectatis. Vomitus nimirum et incoercibilis alvi fluxus fere semper comitantur anginas putridas et aphthas malignas. De amici scriptoris pia sententia parumper arbitraris, quod sine molestia tuae recentis doctrinae medicae fiat, aegroti cujusdam stomachum fuisse angina putrida vel aphthis malignis, vel arthritide correptum: quidnam eveniet? de compacto confiteri opus erit, omnia symptomata cardiaca, omnia discrimina, omnes fluxiones se prodere ea vehementia, qua Cholera asiatica stipatur. Inter alia plane vellem spectes materiae mucosae albescentis acervum, qui partim ut floccorum albuminosorum cumulus in cadaverum stomachi et intestinorum cavis abunde invenitur; partimque videtur ut ingens

lymphae caeruleae copia, praeter eam quae in morbi curriculo detrusa est fluxionibus magnis. Processuum pathologicorum quisnam punctula exulcerata, superficiem albam hic illic frequentissimis, atque pure obtectis granis interruptam in membrana mucosa stomachi potuit superstruere? Variolae intus variolas faciunt, nuper observatas etiam in taenia, quae ducta erat a puero variolis laborante (1): rubeolae et peticulae intus etiam afficiunt foetus, qui in utero matris iisdem morbis affectae inveniuntur (2). Aphtha aphthas producit, magnam humorum colluviem et symptomata cardiaca Cholerae. Multos cholericos necatos fuisse, quin in eorum cadaveribus visenda se praebuissent haec punctula et granula, nec non membrana albescens, de qua loquutus es, jure objicies. Ut attamen certum habeas responsum, memento, quaeso, eorum, de quibus superius dixi, de iis qui pereunt ex symptomatum vehementia et vitalitate exhausta sine ulla stomachi aut intestinorum laesione.

Historia pathologica processuum morborum huc redit. Enimvero nullus extat processus qui majores creet pituitae affluxiones, quam aphtha maligna atque angina putrida. Atque adeo in stomacho et intesti-

---

(1) *Vidit doctus Felzanius.*

(2) *Illa septimestrem partum excussit vi morbi, eodem modo maculatum, quo et mater. Gulielmi Ballonii Epidemic. et Ephemeridum Libr. 1. Const. hiemal. anno 1734.*

nis praecipue quae veluti mare sunt omnibus, omnibusque dant, recipiuntque; ubi maximus exalantium et absorbentium numerus; ubi Hallerus quaque die segregari credebat, pituitae tantum, viginti libras; ubi maxima adipis copia; ubi materies urinarum non parva in vicinias affluit; ubi bilis, succusque pancreaticus secernuntur, aut immittuntur; ubi saliva et humorum mucosorum maxima copia colligitur digestioni inserviens; ubi demum totum corpus evacuationibus consumptum, exsiccatumque morbo peracuto, uti Cholera, tabescere potest.

En ratio cur in Cholera ob dissolutionem adipis, oculi decidunt, et cornea, ob defectum aquei humoris choroideae inhaerens hujus colorem transmittit: dentes circumdantur humore fusco et denso: lingua et fauces ariditate insueta cruciantur; et sic totum corpus, vel aliquae ejus partes, quasi pulvere aspersas se praebent conspiciendas.

Utique contagium, quod truculentum creavit morbum, nostrum debuit esse, contagiis assimile, quae processibus suis pathologicis morborum in Europa et alibi degentium debentur, ut sunt contagia podagrae, ophthalmiae, catharri, dysenteriae, aliorumque hujusmodi. Namque iter quod dicitur peractum a contagio indico Europam versus et Africam est instar sophistarum ludi sortitionis, qui numeris extractis, eorum sympathicis falso studio respondere asserunt. Contra nulli dubium esse potest quin morbus ultro devolverit in nonnullis civitatibus, uti accidisse Moschae, Matriti, et alibi constat. Inter observationes quae contagium Cholerae esse spontaneum demostrant, eam

attente perpendes, quam *Carolina*, Imperatoris navis instructa suppeditat, quaeque per menses mare eoum et indicum gentibus suis nauticis bene valentibus prospere navigavit; ad frontis Africae denique litus appulit, ubi non erat Cholera, Cholera capta, symptomata, pericula, cladem experta est Cholerae asiaticae. Quis inter *Carolinae* nauticos immisit Cholerae contagium? Sponte se prodidisse, confitearis necesse est, atque aeris mutationibus, climate, aliisque causis adynamiam inter nauticos producentibus factam. Argumentum alterum, cui contradicere nemo audebit, illud est, quod Cholerae asiaticae invasionem praecedit Cholera et disceptationes medicorum inter se digladiantium, quorum alii pugnant pro prima Cholera, alii pro altera, obnegantes saepe inter cholericos, Choleram existere. Illud quoque in dubium revocari nequit, quin Cholera aut saltem morbi cholerae assimiles per mensem homines afflixerint, priusquam asiatica civitates invaderet. Idque Choleram animorum perturbationibus, aerisque mutationibus insolitis magis tribuendam quam cuivis ignoto et ambulanti morbi miasmati. Tertium peto argumentum a rei ipsius natura. Contagio Cholerae si Indiae indigena extitisset, cur anno 1817 tantum peragrare incepit Persiam, Arabiam, Chinam, cladem magnam inducendo inter populos eas incolentes regiones? Cur obsidione quadam in India clausa ea contagio, sex millia circiter annorum ibi iners remansit; reviviscens deinde anno 1817 dilapsa est gentes populabunda alias extra Indiam remotissimas? Cur exercitus Magni Alexandri qui in

India bellum gessit immunis hoc contagio fuit? Cur Europei qui in India per duo soecula negotiati sunt, hanc contagionem nobis non descripsissent? Necesse est arbitrari illic contagium non extitisse, vel exortum fuisse anno 1817. At si contagium ultro nasci potuit in India anno 1817, cur non potuit ultro nasci in regionibus quae dicuntur a contagio indico invasae, praesertim quum regiones hae iisdem acris mutationibus, quales in India anno 1817 se habuerant, obnoxiae fuere? Perdoctus Brieres de Boismont non paucas colligit Cholerarum observationes, quae pluviis repentinis vel translatione invasorum repente finierunt. Quis inde immaginari valebit contagium indicum per mille milliaria peragrare sui in viatoribus sanis custodiens naturam, post iter tam longum, quae tacuere, vires suas denique exercere, Choleramque epidemicam in remotissimis regionibus gignere? Interea morbus quamvis sponte editus, in iis praecipue, in quibus terror et consternatio morbo diathesim adynamicam pararunt, contagione propagatur, populariter grassatur et quamplurimos perimit (1).

Ad magis patefaciendam aphthosam et rheumaticam naturam Cholerae, ejusque contagium morbo

---

(1) *Neque omnes uno modo contagiones se habent, aliae namque in nobis primo fiunt et generantur in aliquo; mox ab illo in alium transeunt: aliae extrinsecus primo veniunt, et factae, de uno in alium propagantur. Fracastor. De contagione lib. 1. cap. 12.*

ipsi debitum, liceat non ad medicos, qui aliquando suo modo vident; sed ad sapientes viatores recurrere, nulli addictos medicinae systemati, uti sunt Sonneratus et Paulinus; quorum alter peragravit Indias orientales et Chinam ab anno 1774 usque ad annum 1781; alter ab anno 1797 usque ad annum 1799 (1) Sunt verba Sonnerati, quorum interpres tantum sum « Indiani ventris fluxionibus et vomitionibus se-
» rosis saepe obnoxii sunt, quae a transpirationis erro-
» ribus derivantur, atque a miserrima miseria quae
» tanta est ut ipsis alimentum, quo circulationis aequi-
» librium suffulcitur, quotidie desit. Hisce causis,
» linearum vestium, quibus cooperiantur adversus
» frigus, defectus accedit. In humida terra, aut in
» specis cubant, quo frigidi venti et pluviae plane
» perveniunt. Rerum omnium, quae ad vitam sub-
» stinendam requiruntur summa caritas, miseris mor-
» bum infert qui multos perimit.

« Indigestiones quae in India appellantur *obitus*
» *canis* obviae sunt. *Castae* quae carnibus, respectu
» climatis satis calidi, nimis nutrientibus abutuntur,
» morbo frequenter laborant. Brachmanes etiam, etsi
» ipsos carnibus et piscibus religio ac opinio vesci
» vetent, ob excessum butyri et orizae, queis sto-
» machum implent, saepissime eidem morbo subjici-
» untur, et quamplurimi pereunt repente.

---

(1) *Voyage aux Indes orientales et a la Chine fait par ordre du Roi. lib. 1. pag. 113 a 115. Voyage aux Indes orientales par le pere Paulin.*

« Attamen indigestiones tam frequentes non habentur in India ut simplices effectus nimiae nutritionis ; verum earum causa est aer frigidus , cui exponuntur , si ventrem vel aliam corporis partem refrigeret et transpirationem cohibeat.

Sonneratus de contagio minime loquitur , Choleram truculentam causis rheumaticis tribuendam, tantum exponit. Vides inde quomodo Paulinus eumdem morbum dijudicat « *Le chani* o *mordexim* quaedam sunt colicae furentissimae, quae a vento ex montibus flante , particulis nitrosis commixto producuntur , quum aer post pluvias , qui humidus erat, calidus et siccus fit: Malabari ab idibus Octobris ad Novembrem et in oris Coromandeli mensibus Aprili et Majo id accidit. Appellantur dictae colicae *nier comben*, idest frigus vel dolor irritans ab aere frigido genitus. Siquidem frigus nervos ciendo in intestina humores biliosos et malignos rejicit, hinc dolores acutos, vomitus, febres, et stuporem efficit ; atque homines paucis horis interimit. Saepe accidisse constat morbum hunc triginta aut quadraginta homines simul corripere et perimere, nisi promptissimae curationes praesto fuerint: Pharmacum amarum (1) specificum est remedium, quoniam transpirationis poros aperit, humorum circulationem reintegrat, sudorem ciet, nitri corrigit acredinem, demum corpus calefacit ut vivat.

---

(1) La drogue amere *Paulini*, *quam describam agens de Cholerae curatione.*

» Anno 1782 morbus ferocior factus cladem magnam » induxit, quia defuit multis aegrotis pharmacum ama- » rum. Hoc deficiente remedio, infusionem jussimus » magnae copiae fimi equini in *tagara* (1) post filtra- » tionem sic paratum remedium omnibus exhibui- » mus aegrotis: qui sumpserunt, vivunt: qui a me- » dicina abhorruerunt, tribus, aut quatuor horis in- » terierunt. Paulinus aeque atque Sonneratus coli- cam, choleramque rheumaticam, a transpirationis erroribus semper ductam, describunt. Paulinus interea de contagio minime loquitur.

Caeterum novum non est aliqua contagia sponte se prodere; quoniam ipse Fracastorius contagionum auctor, lippitudines quasdam contagiosas esse sensit (2) Ramazzinus eodem modo experientia dixit constare contagia multa effectus potius esse quam causas variorum acutorum morborum (3), et denique Hildebrandius medicis nostris italis adstipulatur (4).

At Choleras sporadicas, inquies, multas observasti, in Commentariolo eas descripsisti, quae maximum aegrotis attulerunt periculum; si contagium Cholerae choleris nostris debetur, cur Cholerae a te visae contagium non produxerunt, contagio propagatae non sunt et populares factae?

---

(1) Eodem loco erit descripta.

(2) Op. cit. lib. 1. cap. 2.

(3) Oration. Orat. XIII.

(4) Du Typhus contagieux Section XIII. pag. 296.

Plura requiruntur ut contagia ingenerentur, plurima ut diffundantur et fiant popularia. Requiritur primum, ut processus ingenerator quamdam aetatem, maturitatemque sit assequutus: morborum semina, idest contagia, tamquam vegetabilium, animaliumque semina sunt, quae non habentur in omnibus iisdem vitae stadiis; ita et contagia, quae non prodeunt, nisi in quibusdam morbi ingenerantis periodis, quae non sunt eaedem omnibus: contagium morbillorum evolvitur secundo morbi stadio: in tertio stadio contagium variolosum; in ultimo stadio contagium phthisicum; contagium cholericum editur, ut sentio instar contagii aphtharum malignarum et anginae putridae statim ac corruptiones fiunt in locis, ubi sedent. Enimvero experientia compertum est cholericos vivos minus, cholericorum cadavera magis ad morbum propagandum reperta esse aptiora; quoniam contagium Cholerae corruptione oritur. Cholericis meis praesto fuere curationes, ut corruptionem quamcitissime averterent. Secundo requiruntur quaedam in aegroti humoribus conditiones, quae ipsius morbum aptum reddant ad contagium gignendum: quidam aetatis, sexus, temperamentorum modi, quaedam aeris constitutio, quaedam anni tempora. Atque quae dicta sunt in cholericis meis non aderant.

Requiruntur plurima ut contagia jam edita diffundantur, et populares faciant morbos. Inter alia pernecessaria est dispositio ad contagium suscipiendum, quae infinitis, variis, bene latentibus constituitur principiis proposito nostro nunc extraneis. Unum porro tibi sat erit, ut rei nucleum perpendas.

Contagium cholericum quod a corruptione ortum habet, differt a contagiis ad morbos exanthematicos pertinentibus, quippe quae corruptionis ortum producunt: primum est veluti finis, altera sunt profecto principium morborum. Differt praeterea contagium cholericum a contagiis morborum exanthematicorum in eo, quod primum non operatur, nisi in membranam mucosam internam praecipue stomachi et intestinorum; et nullo alio modo corpus afficere potest, nisi eas partes tangat et irritet. En cur contagium cholericum propagatur serpendo et maxima difficultate.

Providentia regis nostri Ferdinandi amatissimi, ab interna rerum administratione Magistri, et praestantium magistratuum, qui publicae sanitatis curam gerunt, nobis defuerunt terror et consternatio, quibus dispositio fit ad contagium Cholerae suscipiendum, et propagandum. Et re quidem vera quum advocatum multoties fuisset supremum salutis Tribunal atque aliquem Neapoli Cholerae casum observasset, publice edixit, Choleram asiaticam non esse, sed Choleram a victus erroribus derivatam nullo posse contagio propagari: quod satis fuit, ut populi terrorem et consternationem averteret et cum ipsis Choleram. Turcae qui nullas colunt litteras nostrum feliciter imitati sunt systema; quoniam Bizantii evolutam Choleram neglexerunt, fato, ut mos est apud orientales, se committentes, Choleram brevi fugarunt.

Quaenam est natura miasmatis, quod Choleram asiaticam gignit? Quomodo propagatur, contactu ne, an afflatu? Sectatorum contrastimuli qui scientiam reconditam possident, facilis est responsio. Contagium

Cholerae *contrastimulum* est: contactu mediato aut immediato suas exequitur peregrinationes. Si mater idearum vestrarum chimaera est, quot oriri chimaereos filios in mentis hujusmodi fluxionibus quis poterit divinare?

Materia generatim sumpta, omnesque ejus formae, contagia, miasmata, quidquid sint, una gaudent vi, stimulant scilicet, quum ad viventium incitabilitatem accedunt. Gradu actionis tantum differunt inter se, proinde maximus excessus, maximusque actionis defectus, ad quem appulit, locum signat; irritat idcirco, vitae sensus, motus, lymphasque quae ab ipsis pendent, conveuas in locum signatum attrahit; unde conditio ea pathologica centrum formae nosologicae constituens, ortum habet. Praeterea morbosum hoc centrum, primum statum, a nimia stimulandi actione contagii ductum, progressivis augmentis mutatum invenies in morbi curriculo. Siquidem humores ad se evocando, et eorum evasionem extra se continuo efficiendo, stagnatione demum materierum evocatarum, qua majorem acquirunt irritandi facultatem, debilitate et sensibilitate, quae semper una augentur in morbi curriculo, morbus saepe impense crescit eundo, ejusque symptomata magis magisque clara et longiora fiunt, ut latam morbi formam nosologicam constituant. Neque mireris, si in diversis hominibus diversas hoc contagium creet morbi modificationes, prout diversas invadit temperies in diathesis hyposthenicae gradibus diversis constitutas, diverso ejus activitatis gradu, et diversa materiei quantitate. Eodem modo doctus Tommasinius febrium intermit-

tentium et remittentium diversam naturam, atque diversas earum modificationes ab uno locis coenosis suppeditato miasmate omnino repetebat. Ideoque par est concedere discrepantias phoenomenorum, quae habentur in morbis, non a causarum diversa natura, neque ab earum diverso agendi modo; verum ab unica vi, qua pollent substantiae, gradu actionis tantum diverso, profecto proficisci. Quapropter varietates infinitae visendas se praebuerunt in Cholera, quae individuis, idiosyncrasiis, temperamentis, habitudinibus, aetati, sexui, hominumque demum officiis respondentes esse debuerunt. Fallax idcirco judicium eorum, qui unico remedio curari posse Choleram senserunt: vana libido Cholerae remedium specificum inventum esse, aut inveniri posse.

Maximum medicis afferunt adjumentum, quae adhibendae sunt notiones circa morbi differentias expositae, in determinanda prophylaxi et curatione Cholerae morbi. Siquidem nemo medicorum non rejiciet pueriles controversias atque verborum vanitates, quibus abutuntur sectatores; et nemo suo se abnegans criterio, curationes rite non instituet similes aut dissimiles ratione similitudinum aut differentiarum, quae casus saepe offerunt. Contrastimulo attamen, non phlogosi, sed phlogosis recentiorum theoria una rejectis, en quemadmodum omnia Cholerae phoenomena, ejusque differentias ad scientiam medicam non aegre quisque referret. Cholerae qualiacumque sint symptomata, qualescunque differentiae, neque diathesi dynamicae hyposthenicae, neque hypersthenicae unquam tribuendae, siquidem ab una pendent pathologica conditione

ubique et semper irritante et locali; licet tum diathesi hyposthenicae, quam hypersthenicae inhaerere possent. Symptomatum varietates, varietates tantum formae nosologicae constituere possunt, a varietate diathesium dynamicarum numquam proficiscentes, et in stabilienda Cholerae curatione numquam vel vix respiciendae. Proinde duo stadia sic dicta Tommasinio, aliisque, *algidum* et *reactivum*, in quibus symptomatum aliqua videtur variatio, numquam sistunt duas diatheses inter se repugnantes et remediis natura oppositis curandas, ut falso citatus auctor censuit. Stadium enim reactionis minime surgit ad auferendam debilitatem primi stadii algidi; verum ad tollendum frigus, quo primo stadio aeger laborat, ad concuoquendam et purgandam Cholerae materiem morbidam, ad restituendum transpirationis munus, et ut dicam summatim, ad tuendam organorum laesam ab irritatione locali structuram. Quantum aegrotis nocere stadium algidum, prodesse stadium reactionis poterit, videbis iufra: scias interea illud stadium idem valere ac vivere non sine spe pristinam recuperandi valetudinem: stadium reactionis valere, atque vires etiam nunc possidere, ut organorum laesiones reficiantur: stadio reactionis laborare idem esse ac habere motus cordis et arteriarum, sanguinem calidum distribuere, quasi menstruis chemicis organa laesa penetrare, ut natura suas moliatur operationes et crises. Nusquam febris, quae uti omnes alii morbi aequilibrium functionum subvertit, vires aegri diathesicas meliores facit, sola motuum vitae harmonia augendas.

In iis notionibus, quas intelligere nolunt, surdi profecto sunt si *Naturae medicatricis* notiones, etiam *molimina* quibus tutatur organorum integritas, laesa restituitur, abnegare, atque negligere ausi sunt. Idcirco extra scientiam positi ab utilissima Cholerae reactione absterrentur, eamque ratiunculis obtrectantur, ut occasionem captent semper deprimentibus curare.

Quae diathesibus miscet morbi symptomata iisdem notionibus dijdicanda est distinctio Cholerae *hypostenicae* et *phlogisticae*, quam perdoctus Wolowskius novissime divulgavit. Caeterum, ut recte rem statuam, curationes a praeclaro auctore Cholerae constitutas, retinere ratio ipsaque mea doctrina suadent. Enimvero nemo est, qui sicuti Wolowskius in hac scientiae medicae iniquae proscriptionis periodo, vocabulo astheniae uti in determinanda Cholerae natura et curatione ausus sit. Videntur siquidem homines nec vires suas noscere, nec ratione amplius resque suas moderari; sed brutali empirico modo, ephemeridibus suffulto, quae ab otiosis hominibus, paucis exceptis, undique divulgantur. Gratias ergo tibi ago quamplurimas Wolowske, qui primus ad scientiam, quam abnegarunt, medicos revocasti. Docti attamen Coruttii nominis non obliviscor, qui priusquam nobis innotescerent Wolowski de Cholera notiones, divulgavit Parmae (1) stadia Cholerae omnia esse asthenica et excitantibus remediis tantum curanda.

---

(1) *Opinioni sul Cholera morbus asiatico del medico Giuseppe Coruzzi: seconda edizione 1833.*

Si verum est quod auctoritas et errantium multitudo nunquam veritati tenebras offundere possunt, ignoscas, quaeso, si dicam tibi contrastimuli sectatorum Archiatro, te, tuosque omnes fefellisse opinionem: ad nucleum putridum doctrinae, pro qua pugnasti, iterum accede; illum inspicias iterum, rogo, ea qua calles solertia, invenies profecto clades cholerarum asiaticarum cladibus periculosiores. Et tandem novum non est theoriam stomachari, quam juvenis quisque tutatus est, senex utpote falsam rejecit. Diathesim quidem tuam symptomatibus constituisti; phoenomenis vulgaribus et apparentibus metiri vires aegri voluisti; antecedentibus neglectis, frigida calidis, calida frigidis curare debuisti; medicinae studio supervacaneo reddito, morbos omnes hypersthenicos vel a stimulo, quod vires vitae auget, pendere arbitratus es; venae sectionibus, hirudinibus, deprimentibus omnes morbos curare es coactus. Et dignitati tuae, tuaeque sapientiae nugas hasce convenire putabis?

Sed non hic finis, quoniam aliquae adhuc supersunt quaestiones, quas hic judicare oportet, quum ab iisdem principiis judicia patranda deriventur. Redeamus ergo ad Choleram, cuius duo stadia cognosces, primum *algidum*, alterum *reactivum*; putas primum hyposthenicum, alterum hypersthenicum, curanda idcirco excitantibus primum, hirudinibus et venae sectionibus alterum. Et est novissimus error pejor priori, quia inscitiam sapit. Nonne insipientis est labores impendere multos ad quoddam struendum opus, inde opus jam extructum evertere? De te fabula narratur, qui primo stadio Cholerae vires excitantibus

anges, in altero deprimentibus et venae sectionibus minimis. Si nescis quid facias, mallem potius ut ab utriusque remedii usu abstineas, opus naturae motibus committens, quae etsi contrastimuli theoriam in scholis vestris non sit assecuta, ea quae conveniunt efficere valet.

At hercule, inquies, tu solus peregrinus in medicina! curationum Cholerae venaesectionibus, hirudinibus, methodo contrastimulanti habitarum infinitus est numerus: in India, in Russia, in Gallia, in Britannia, in Italia phlebotomiis reiteratis omnes medici Choleram curarunt. Proculdubio; verumtamen, quid accidisse fertur apud populos, inter quos versati sunt pro medicis venaesectores? Prope Gangem, novem millia militum duodecim diebus; Maskati, sexaginta millia; Bassorae, brevi quatuordecim millia; Korrumi et Schiraci quinque diebus, sexdecim millia; Moschae, tria millia; Parisiis, sex millia; in Italia, sex millia usque adhuc peremptos esse novimus. Ex his patet venaesectionibus et methodo contrastimulanti non recte curatos esse Cholericos, quum cholericorum major numerus periit. Contra ex cholerarum censu, quem publici juris Quinus doctus brusellensis medicus fecit, constat, Samuelem Hannemannum, venae sectionibus et hirudinibus nunquam adhibitis, vires tantum excitando remediis suis, per fictionem homoepathiae propinatis, omnes fere cholericos feliciter curavisse. Observationibus ergo et rationi theoriam duorum stadiorum inter se oppositorum adversari, duasque ipsis curationes debendas, absurdas esse omnino apparet.

Quindecim abhinc annis nusquam audivi Neapoli et in viciniis suis anginas putridas apparuisse, quae prius frequenter videbantur; et sicuti Cholera morbus gradariae serpebant. Ad duas causas referendum esse puto: vel medici imaginatione obrepti videre noluerunt morbos adynamia virium innixos, quos certe curare non poterant venae sectionibus et hirudinibus; vel ipsi morbi aliam formam induti, forma Cholerae grassantes, visi sunt discrepare ab illis, qui nobis familiares erant, nunc alio modo imaginationem torquendo, magis exitiales sunt redditi. Potest ne Cholera, angina maligna putrida cardiae vel stomachi esse, quae miris, atque permanentibus et alternanti bus atmosphaerae conditionibus, aliis praeternaturalibus causis sustinetur, et sic inter populos grassari et serpens eos destruere?

Graviora symptomata, ut dixi, habent communia Cholera morbus et angina putrida maligna, inter alia ingens et incoercibile alvi profluvium, virium adynamiam, naturam peracutam et contagium vaporiferum, quod afflatu plane propagatur, quodque nullo labore aeris aut chlori contactu destruitur. Poterunt ne maculae nigrae, quas aliqui cholericorum in cute ostenderunt, esse maculae, quae aliquoties apparent in aegrotis angina putrida affectis?

Innumerae observationes demonstrarunt, ut diximus, contagium vaporiferum Cholerae aeris expositione omnino destrui, superque montes peraltos, ubi aer facillime renovatur nunquam Choleram grassari. Ut omittam exempla quae Indi offeruut, Carpatios, Pyrenaeos, Alpes contagium cholericum aggressum non est; quamquam morbum popularem cir-

eumcirca aut in eorum viciniis efficeret. Eaedem observationes ostendunt Cholerae contagionem vaporiferam esse, et diutius non morari in iis qui ipsa prehenduntur; quique postquam per pacuos dies versati sunt aere aperto rem suam peragentes ab aliorum commercio sejuncti, absque ulla contagii propagandi suspicione in societatem redire possunt.

Praeterea vapor veneficus uti in angina putrida et in aphthis malignis ad stomachum appellere debet, ut Cholerae morbi evolutionem efficiet: quod si ad alias partes pervenerit, nullibi morbum gignet. Contagia quae supra cutem agunt, in cute processus pathologicos instruunt, ut videre est in variolis, morbillis, petechiis et caeteris. Pertussis eos processus in pulmonibus condit: lues venerea, quo contagium pervenit: Cholera morbus exanthematum omnino expers, excepto stomacho, nullum monstrat vestigium in cute, vel alibi, ut suspicari possit in hisce locis extare et aliquod opus ordiri: magna item itinera, uti divulgatum est, Cholera morbus efficere nequit, ob indolem sui contagii vaporiferam, quod aeris expositio destruit.

Perdoctum Iachnichennem sequutus, si quid est contagionis in Cholera, illud fieri puto per penetrationem ad cardiam usque, in qua aphtham putridam anginamque malignam gignit et symptomata quae ad eam pertinent.

Quidquid de his sit, certum est Choleram asiaticam ad putridorum idest adynamicorum morborum genus pertinere; et phlogoses, quae ei consociantur, phlogoses putridas, adynamicas, ad gangraenam pro-

pendentes sistere. Paucis exceptis aegrotis, in adynamia virium non constitutis, qui experiri poterunt intercurrentem morbum, respectu formae nosologicae, Cholerae asiaticae assimilem, omnes uno conflictantur morbo nervoso putrido, remediis nervinis et excitantibus tantum expugnando.

Attamen negare non audeo casus simplicis Cholerae *irritativae*, qui absque virium adynamia, hypersthenia immo evolvantur: sunt enim casus hi levium cholerarum, vel Cholerae intercurrentes, cholericae aeris constitutioni omnino tribuendae. Siquidem utcumque debilitantes sint causae universales, quae adynamiam epidemicam parare conantur, quisque de populo, pro facultate qua pollet, adversus eas luctari potest, statumque hypersthenicum acquirere. Quo fit ut quum Cholera aggreditur homines in statu adynamiae opposito constitutos, cholericas phlogoses hyperstheiicas patiantur venae sectionibus et hirudinibus curandas. Non uni enim actioni, sed multis hominum vita commissa, quarum si altera deficit dum variae augentur, diathesim universalem variis respondere actionibus auctis, compertum omnibus esse debet. Hisce positis nullo labore intelligis, quomodo Cholera asiatica morbus sit semper identicus, atque simul varius: semper identicus, quippe qui habet semper eamdem plus, minusve evolutam formam nosologicam: varius quidem, quia potest inhaerere duabus diathesibus dynamicis universalibus, saepe hyposthenìae adynamicae, aliquoties hypersthemiae; varia proinde methodo curandus,

Cholerae prophylactice, et curatio.

Duplici modo expediri posse Cholerae prophylaxis mihi videtur: vel quidem diathesis adynamicae constitutionem impediendo: vel contagium Cholerae vaporiferum vitando.

Ad adynamiam avertendam, quae illam faciunt causas debilitantes amovere oportet; quare necesse est vitae vires sustinere, ut temperamento et idiosyncrasiae uniuscujusque conveniunt: namque vires non eaedem sunt omnibus, neque eadem mensura in omni vitae stadio, aetate, sexu, conditionibus definiri possunt. Hinc oportet homines meditari, eorum cognoscere habitudines, quibus habitent aedibus, qualis sit vestitus, aliturae, officii mos; et summatim quales habeant relationes cum aliis corporibus, quibus alligantur, pernecessarium puto ad dignoscendam et metiendam virium quantitatem, qua unusquisque vitam suam vivit. Perdurum igitur, verum utilissimum ad prophylaxim statuendam aggreditur opus medicus explanandum, quum antecedentia perpendens ingenium suum torquet in diramationes ab uno non pendentes trunco assequendas. En argumenta difficilissima, quae contrastimuli sectatores, parum laboribus assuetos coegerunt, ut desererent antecedentia, et morbum tantum apertum viderent, curarentque. Qui attamen negant antecedentia, uti sunt qui Tommasinium sectantur, de prophylaxi stabilienda numquam satagere possunt. Non aegre patiar facere, quod ipsis datum non est.

Incipiam a victu, qui continuandus unicuique erit,

uti antea fecit, si eo firmam suam servavit valetudinem. Nugivenduli quamplurimi et Cholera asiatica una apparuisse videntur; quorum aliqui divulgarunt noxios posse esse fructus, herbas, vinum, alkoolem, aliaque, quibus multi ab incunabilis assueverunt. Mea quidem sententia Choleram potius vocaret, qui se abstinere, si placerent ab herbarum, vel fructuum usu, temere conaretur. Eadem ratione invocaret Choleram, qui vinum et alkoolem, quibus utebatur, inconsulto desereret (1) Nimia tantum fugienda sunt: stomacho jejuno, nisi quis assuetus, nunquam utenda, quia locum auferre possent alimentis valentioribus, et ad firmandas vires vitae aptioribus. Vinum bibendum amipeum; verum vitanda ebrietas. Interim neminem fallit, epidemiis grassantibus, majus flagitium admitti in paullo tenuiore victu et grata potione, quam in paullo pleniore; moderata enim plenitudo contagii absorptionem impedit, absortique exhalationi atque transpirationi favet. Maximum attamen detrimentum quisque experiri potest ab nimia cibi atque potionis copia; nam indigestione atque magni acervi corruptione, stomachum et intestina lacessendo, Cholerae, epidemia grassante, certo viam aperit.

Ad vires substinendas plurimum valet gymnastica, quam ex experientia valde probo. Somnus enim

---

(1) *Quibus servatis, ex reliqua victus consuetudine quam minimum mutari debet. Cels. de Medicinae lib. 1. cap. X.*

longior vitam laxat, ducere ad Choleram potest: nimis tamen laboribus fatigatos Cholera corripit. Densis dormiendum stragulis in loco quammaxime cooperto et siccis frictionibus utendum, quia vires erigunt, perspirationemque provocant. Ædes frigidae et humidae, vel sint in locis coenosis, derelinquendae, nec non quae domicilia terrae proxima habent. Experientia constat Choleram non ascendere, sed descendere. Quum aedes quisque deserere nequit, occurrendum morbo epidemico earum munditie et nitore: quod muria naturali, vel kali soluto potissimum obtinetur, aquae marinae et lixivii alternis reiteratisque ablutionibus. Quidquid corruptionem sapit, vel aerem azoticum aut carbonicum potest educere, ejiciendum.

Lineae vestes saepe mutandae, saepius vestes laneae, quae juvant corpus calorem retinendo, verum periculosiores ob contagium, quod facile conducunt. Vestimenta attamen, quae vitae calorem servent, inducere convenit. Majus detrimentum a frigore quisque habere potest, quam a futili dubio contagii suscipiendi. Calorem praesertim in extremis corporis custodire, pediluviis, lateribus calidis, aliisque modis perutile est.

Venus nimia nocet, sed non omnino fugienda: vitanda, si possibile est, omnia pathemata quae animum exagitant; prae caeteris terror et deprimentes animi affectus Cholerae viam aperiunt, atque popularem reddunt.

Ratione officii cave, ne corpore plus minusve concalefacto, praecipue si sudorem effundit, scribendi

tuo munere fungaris in aedibus apertis, ubi aer fluat frigidiusculus. Si necesse est frigescere, cave, ne altero immutato, alterum latus de repente frigus afficiat. Tunc melius est nocenti causae gradatim exponere, modo unum, modo alterum latus, modo hanc, modo illam partem, ut aequum omnia sentiant incomodum, quam quodpiam membrum tantummodo; quod subvertere facilius vitam solet, et morbo epidemico insurgendi occasionem praebere. Si tibi pergrandes labores commissi sint, eos perage paulatim: si festine et sine intermissione exegui debes, saepe surge et curre ubi sis, domus aedes magno pedum, capitis, et brachiorum motu, ut sanguinis circuitus et respiratio eam recuperent velocitatem, quam animi contentio minuerat. Grassantibus epidemiis tutare te adversus aeris alternantes mutationes; siquidem nihil tam noxium, nihil tam periculosius, quam aeris experiri nocentes effectus. Epidemiorum enim proprietas ea est, ut omnes morbos illis assimilet atque in ipsos mutet, quod debetur aeris ipsius cuidam specificae constitutioni; quamobrem quemvis morbum aeris mutatio fecerit, Cholera currente, in Choleram transire morbum illum nulli dubium esse poterit. Hominibus nihilominus non praecipio, ut omnia aedium spiracula claudant, ut semper domi maneant, ab aere caveant, amicorum frequentiam deserant, spectecula publica vitent, et alia hujusmodi quae cautionum nomine a nugigerulis appellantur. Gerrae siquidem nullius essent momenti, si praejudiciis populorum non arriderent. Sanus enim homo, qui suae spontis est, nullis obligare se legibus debet:

hunc oportet varium habere vitae genus: modo ruri esse, modo in urbe, saepiusque in agro: navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere (1). Antirheumaticum valentissimum quidem est habitudo quam acquisivit, qui aerem saepe tractavit, seque ejus mutationibus, maxime subitis gradatim exposuit, quamobrem nocumentum ab iis postea recipere nequit.

Praecautiones ad vitandum contagium conducentes duplicis sunt generis: alterae uniuscujusque propriae sunt: alterae sunt publicae, quae Principum vi atque auctoritate pro tuenda omnium valetudine adhibentur. Primum dicam de propriis.

Tribus modis quisque potest contagium cholericum vitare: 1. antidotis utendo, quae contagii vim frangant: 2. cholericos certis modis, certisque cautionibus tractando: 3. tandem cholericos fugiendo. Contagii Cholerae antidota sunt, meo quidem judicio, oleum, sulphur, et muria naturalis. Saltem haec adhibere juvabit usquedum clariores notiones, vel contagii naturam enodantes, vel antidota tutiora et efficaciora proponentes, repertae sint. Oleum olivarum, aliorumque vegetabilium, nec non oleum animale et pingues omnes substantiae anticontagiosa esse, novum non est. Ut omittam lustrationes, quibus usi sunt Israelitae, Prophetae, aliique ad eumdem populum pertinentes, silentio praetereundas haud censeo oleosas frictiones, quibus ad robur vitae firmandum, augendumque veteres maxima utebantur utilitate. Ve-

---

(1) *Cels. oper. cit. lib. 1. cap. 1.*

rum etiam est aliptas miscuisse saepe oleis expressis olea aromatica, ut frictionibus inservirent reficientibus, sed id, aliarum observationem genus, quodque probat, non evertit. Et nuperae observationes ostenderunt olearios, saponarios, omnesque alios, quorum munus est olea et pingues substantias contrectare, contagiis immunes extitisse. « Homines, ita loquitur Mitchillus, qui super pin-
» gues substantias et super oleum animale aut ve-
» getabile operantur; vel quia ipsis externe aut
» interne utuntur, nunquam peste, febri flava
» americana, vel aliis contagiosis morbis afficiun-
» tur. Idem accidit iis qui ad extrahendum ex ce-
» tis oleum addicuntur: eorum enim navis pisca-
» toria continuo oleosis exhalationibus foetet; foe-
» tent lagenae ob aliquas partes ceti fere putridas,
» quas continent; foetent navigerae, eorumque
» vestes; foetent remi, puppis, prora, pons,
» scaphae, nihilominus ejusmodi genus hominum
» morbis numquam afficitur. »

Cafrorum liberum sed sordidum populum, a contagii aggressione pinguium substantiarum frictionibus omnino praeservari notum est: ita et Israelitae, qui eodem modo epidemias non noverunt. Cafrus, de quo loquitur Rosseaus, per plures annos in insula Java detentus, in quem Batavi urbanum cultum inducere volebant, in patriam redire optabat, ut oleo libere ungi posset et a contagiosis morbis praeservari.

Demum ut praedictae notiones reddantur utiles, animadvartendum est, quo pacto oleum adhibendum sit. Cafrorum morem foedum, horrendumque, navigeras sordidos, olearios graveolentes imitari in animo certo non est; potius interne oleum, aut oleosas substantias, oleas, amygdalas, nucis

juglandis fructus adhibere valet : quibus utendum praecipue quum quis ad cholericum accedere debet. Proinde parva olei amygdalarum dulcium copia modico sulphuri commixta, mucosam membranam oris et oesophagi lenire juvabit priusquam ad chollericum quisquam accedat ; linteo, oleo et aceto consperso, os obtegere utile esse puto: et manus oleo abluendae, si res ad cholericos pertinentes tractare necesse sit.

Sulphur cholerae curationi prophylacticae proprium esse testantur recentiores observationes. Methodus utendi haec est. Vas sulphuris pulverati et aquae potabilis aequas partes continens igni superimponitur, ut sulphur et aqua ebulliant aliquantulum ; inde, ubi lubet, vas deseritur, ut frigescat : vestes postea abluuntur in liquido sulphureo ; ablutae aeris expositione exiccandae ; et quum versari inter cholericos quisnam debet, eas induere convenit, easque mutare similibus. Dicam inferius sulphur interne sumptum valens esse remedium Cholerae.

De muria naturali pauca dicere necessarium puto ; quoniam si qua spes superest cóntagio per antidota fugando, in muriae naturalis actionibus proficuis omnino reponendam esse minime dubito. Observationibus non dubiis Liburni habitis constat purgatrices, quae aqua marina abluebant vestes cholericorum, immunes a contagio fuisse ; affectas contra, quae illas abluebant aqua comuni. Vestes ergo aqua marina ablutas, induere debet quem rebus ad cholericos pertinentibus versare decet, vel cholericos ipsos tractare suo cogitur munere. Et ad rem erit aspergere aqua marina mucosam oris et oesophagi, et id reiterare.

Praestat praeterea omnibus aliis remediis, quia

a muria originem ducunt ipsaque pharmaca valentiora, quae adhibentur in expurgandis rebus et domiciliis cholericorum, inter alia chlorum aereum, et calcis chlorurum; quae nihilominus apponuntur tantum vacuis domiciliis atque rebus ab aegrotis sejunctis.

Turnerus in Epistola ad Pringlium Lindumque missa commendat tabaci frondes in ore habendas ad avertendum contagium febris petechialis et flavae americanae. Idem suadeo omnibus, quibus necessarium est cholericos frequenter tangere. Ptyalismo, quod provocant, si secretiones in ore augent, quibus succis salivalibus os videtur abundare, absorptionem contagii cholerici certo amoliuntur.

Tandem vitabitur Cholerae contagium fuga. Ut tamen intelligas quomodo et quando hisce praecautionibus quisque uti debeat, memento, contagium vaporiferum Cholerae non inficere, nisi per os absorptum: memento ejus tenuitatis, qua ad magnam nequit ferri distantiam. Idcirco expers est rationis, ridiculusque timor eorum, qui ubi audiverunt Choleram ortam esse in Civitate, vel ibi esse suspicantur, statim patriam et amicos deserunt, in abdita loca se recipiunt, et omnino valedicunt hominum commercio. Cave ne timeas, et si sapis, esto impavidus: os tantum tibi tuendum a contagii aggressione: ore excepto, quod tui corporis superest, contagio cholerico non afficitur.

Cholericorum vestium purgatrices obnoxiores sunt contagio cholerico, quoniam capite demisso vestes illae abluendae sunt, atque ore aperto torquere ut expurgentur, et prope eas os habere, ut longas faciant laboribus suis comites in-

spirationes. Eae presertim cavere debent a contagio, praecautiones adhibendo, quas superius proposui.

Et medici obnoxii etiam sunt contagii aggressioni, quia cholericos tangunt, cum iis agere debent et eorum res saepe inspicere atque contrectare. Eos, quum ad cholericum accedunt, oportet habere prae caeteris faciem alibi conversam, ne aegri afflatus os eorum penetret: aqua marina pro gargarismate uti, antequam ad aegrum perveniant: tabacum inde mandere ut humores exeant sputis: et quibus magna pulmonum capacitas, longa exequi inspiratione priusquam sint coram aegroto, ubi respiratione suspensa munere fungantur suo; et inspirationem non reiterent, nisi relicto Cholerae cubiculo.

Hinc exponenda sunt quae ad populi salutem tuendam Imperantes facere consuescunt. Eorum cura scatet negotiis et muneribus, quae singuli exequi nullo modo possunt, ut urbium et viarum munditics obtineatur, quae si lutulentae sint, vel pulverosae, aut sordibus inquinatae, omnino poliendae sunt: cloacarum spiracula extra urbem sint, vel fabrefacta ut immunditias in mare transferre possent. Stagna quae aerem mephiticum efficiunt; quae etiam nunc existunt templorum foveae ad hominum cadavera recipienda addictae, quippe quae aere putri graveolentes, ab habitationibus procul removendae sunt.

Tandem obsidiones Imperantes adhibent, ut contagium quasi in carcerem compellatur. Id fit exercitu, foveis, lacunis, muris, aliisque modis, quae aegrotorum infectorum dispersionem impedire possunt. Praecautiones attamen, de quibus loquutus sum, statim adhibere perutile est, et

priusquam morbus popularis sit factus et varie prolatus. Caeterum obsidiones, quas effectus non deficiunt, sunt quae fiunt circa domum aegroti. Magnum quidem praesidium prophylacticum, quod peragere oportet diligentia, firmissima fide et prudentia eorum quibus committitur.

Qui in obsidione domus morbi adhibentur, sciant eorum munus nullum habere discrimen. Contagium enim cholericorum aegri afflatu tantum propagatur, qui ad quamdam distantiam duci nequit, quin aeris expositione, azoto et oxigeno, aliis principiis quibus constat, indomitus perveniat.

Curatio.

Eaedem sunt Cholerae curationis notiones, quae omnes alios morbos respiciunt; eaedemque indicationes duae: vim vitae salvam facere: organorum laesiones avertere: *vitalem* primam, *organicam* alteram indicationem appellare conveniat. Inter duas, ad urgentiorem animum convertere oportet.

Duobus modis vis vitae exhauritur: vel ob defectum facultatis vim vitae constituentis: vel ob violentiam laborum, idest symptomatum, quibus morbus consociatur. Duae inde curationes nascuntur *indicationi vitali* satisfaciendae: prima imminutam facultatem, vitaeque potentiam deficientem stimulis auget: altera labores morbi minuendo, vitae, quae exhauriebantur, viribus parcit. Vitam semper sustinet utrumque curationis genus, modo vires addendo, quae deficiunt, modo ea subtrahendo quae vires destruunt.

Ad primum remediorum genus spectant alituo-

sa, aromatica, alkoolica, calefacientia, electrizantia, idest excitantia: ad alterum spectant refrigerantia, minorantia, emetica, cathartica, diaphoretica, itemque revellentia et derivantia.

Et duobus modis organorum integritatem tueri posse admodum puto: vitae vires rectas, quae verum sunt temperamenti tutamen, sustinendo: contagium, quod organizationis destructionem minitatur, remedia a chemia sumpta, vel physica vi praedita, quae illud mutent, admovendo. Ad primum remediorum genus pertinent omnia, quae *vitalem* absolvunt indicationem: ad alterum pertinet quidquid usque adhuc excogitatum fuit pro corrigenda veneni cholerici natura; oleosa, mucilaginosa, sulphurea, diluentia, mercurialia et alia, quae analysi sunt prosequenda.

Ex praemissis facile innotescit, remedia, quae vitalem indicationem explent, regimen vitae viribus sustinendis addictum; in Cholerae curatione maximam habere latitudinem.

Cholerinam usquedum in Choleram transmutetur, argumentis meis minime comprehendi; dissimulare quidem nequeo. Ipsius curationem absolves eodem modo, quo in curatione diarrhoeae aut dysenteriae agere debes. Adynamia virium numquam suffulta, remediis valentioribus non indiget. Parva emetica saepe reiterata, cathartica eccoprotica, quae materiam mucosam resolvant, inde expellant, curationem plane complent. Adjungendae sunt aliquoties decoctiones chamaemaeli, vel melissae, vel menthae piperitae, quae atoniam ventriculi et intestinorum auferant, dudum in hisce morbis a Plinio laudatae.

Verum in Cholera unius stadii res ita se non habent; vitae vires praecipiti fere lapsu, signan-

ter motus cordis et arteriarum et calor naturalis singulis momentis extingui possunt, nisi remediis excitantibus et calefacientibus illico et festinatione quadam adhibitis adjuventur. Hinc cholericorum corpus fricare laneis pannis, iisque camphora illitis, vel aliis aromatibus imbutis, optimum est remedium; pedibus calidae tegulae, sacchuli sabulis calidis pleni, pannique item calidi, quamcitius admovendi, et numquam emovendi, nisi excalefactis pedibus et suris. Idem per aliquod tempus faciendum, si minus remediis descriptis, saltem frictionibus ut dictum: Itidem alkool camphorati et laudani liquidi Sydenhamii, vel aliquae tincturae thebaicae paucas guttas interne propinare oportet: illas reiterare si saevissimi dolores, vel vomitus atque diarrhoea instant; et iterum atque iterum dare, donec excalefactus aliquo modo sit aeger, et quaedam in corde, arteriisque excitata sit reactio. Quod si vomitus eas rejicit, globulis niveis inspersas aeger certo recipit, meliorque fit. Ad balneum calidum cito perfugiendum, praesertim quum urgentia symptomata remedia interius adhibenda interdum propinare impediant: quod iterandum, si eadem symptomata instent. Pergere porro convenit ad rubefacientium vel vesicantium applicationem, quae ad suras frigore maximo affectas admovere oportet; et si opus urgeat, ipsum ferrum ignitum talo apponendum, ut securae revulsioni locus detur: derivantium tamen promptior vis est; propterea si cito Choleram debellare tibi convenit, emplastrum vesicatorium scrobiculo cordis aegrotorum appone, et mira cernes.

Résarciendae humorum ingenti copiae, vomitu et fluxu ventris rejectorum, praeter balnea cali-

da, diluentia, juscola nutrientia, oleosa et mucilaginosa pernecessaria etiam sunt. Praestant quae mucilagini conjunctam habent resinam volatilem, et camphoratam, utpote ad virium vim reintegrandam una valent, ut videre est in remediis compositis, quibus in India utuntur, quorum infra erit mentio.

Inter excitantia quae Cholerae curationem exequi debent, laudanum liquidum Sydenhami superius commendavi; verum, quod omnibus praestat remediis paucis expedire verbis, neque argumentis meis, neque humanitatis utilitati satis consultum puto. Maxima quidem celebritate ut perlucesceret opium praestantissimum Cholerae remediorum, notiones quae sequuntur, facere deberent. Opium mehercle valentissimam habere vim ad cordis et arteriarum motus intendendos, caloremque animalem vivificandum, auctores sunt Sydenhamius et Boerhaavius, qui inter cardiaca remedia illum recensere non dubitarunt (1) « Nemo au» tem, inquit Trallesius, nisi omni sensu de» stitutus negare potest opium calorem corporis » humani majorem reddere (2). Opium ergo specificum est remedium Cholerae, si morbus hicce motus cordis et arteriarum, nec non calorem animalem destruere aperte molitur.

Addendae sunt observationes quae Geoffroyum filium, opii inimicum, ad opium perfugere in Cholerae curatione tandem coegerunt: en ejus verba latinà reddita « Sed si medicus sit arces-

---

(1) *Oper. omnia sect. IV. cap.* 3. *et Tract. de vir. medic.*

(2) *Usus opii salubris et noxius P.* 1. *pag.* 106.

» situs post decem aut duodecim horas vomitus » effraeni, si omnia symptomata gravissimam » aegri positionem constituant; si morbus cursum suum conficere quam maxime properet, » unum restat, ad narcotica scilicet confugere, » quorum leniora primum adhibenda, ut sunt » sirupus de Karabe, vel diacodium, inde laudanum, aut extracti aquosi opii granum unum » vel duo in quadam mucilagine soluta; quod » propinandum non tantum dum vomitus instat, » sed etiam postquam recessit. Opera Guarini consulendo, quisque methodi descriptae virtutem » ejusque feliciores in curationibus exitus animadvertet. Et meis experimentis remedium hoc, » pretiosum esse cognovi; vitam suam quamplurimi ipsi debent aegrotantes. Successus quos » non expectabam, in gratiam mihi restituerunt » remedium quod antea noxium in similibus casibus semper existimaveram (1).

Camphora, oleum cajeput, asa foetida, cuminum, gingiber, cardamomum, cinnamomum vim opio parem profecto non habent; nihilominus in Cholerae curatione valere possunt, praesertim cholerarum levium, et substantiis oleosis, lenibusque catharticis sint commixta. Præstat remedium compositum, quod titulo *droghe amere* Paulino appellatur: constat ex aequali portioni abrotani, tinkaris, salis amari, asae foetidae, sulphuris, cumini nigri, mercurii purissimi, camphorae, bezoaris, piperis longi, gingiberis et speciei boli armeni, quae in India appellatur *Marrovala*:

(1) *Dictionaire des sciences medicales. Tom. cinquieme pag.* 146.

miscentur cum pulpae extractae ex arundine saccharifera quantum omnia librant alia ingredientia, granorum moluccheusium duobus scrupulis, et quadam quantitate mellis despumati; indeque fermentationi committuntur, et fervendo adhibetur remedii compositi scrupulum unum in aqua calidissima solutum. Aliquando unam dosim propinare sat est, ut aegroti convalescerent; sed varias adhibere convenit, quum morbus desistere nequit. Remediorum principem vocat ex experientia Paulinus (1); quoniam aegrotantes, qui credebantur mortui, descripti remedii usu, postquam illud sumpserunt, illico super lectum sponte sederunt, surgere atque lectum deserere conati sunt.

Miracula patravit idem Paulinus in Cholerarum curatione *tagaram* adhibendo, aliis remediis, de quibus diximus, commixtam, quæ eodem modo vitae vires excitando operatur. *Tagara* est alkool ex cocco, oriza, arundine saccharifera et foliis lauri cinnamomi distillatione extractum. Nucis indicae vires medicinales descripsit Castor Durante, uti videre est apud Gartiam tunc Lusitaniae Regis medicum. Nux indica, *betel* idest foliis *beltilae* sic dictae involuta, in India ad dentes roborandos, ad gingivas firmandas, ad hoemoptoem, vomitum, diarrhoeam, dysenteriam cohibendam maximo est adjumento (2).

---

(1) *Oper. citat. pag.* 474.

(2) *Nux indica, de qua loquutus est Paulinus, ea est, quae botanicis appellatur*: Nux palmae indicae cocciniferae: *a ramis recisis liquorem Indi extrahunt album vinosum pergratum, qui*

Minus urgens aliquando est symptomatum syndrome, curriculum tunc longius Cholera largitur, curationi ob id paullo potentiori dat locum; ideoque remediis stimulantibus diffusivis quam parcissime et semper stricta manu adhibendis. Harum notionum, nec non regularum, quae ab ipsis proficiscuntur, neglectus in causa fuit, quare recentis sic dictae doctrinae medicae sectatores susurrarunt adversus opium, illudque habuerunt tanquam noxium in Cholerae curatione. Eadem causa, remedia calefacientia et cardiaca dedecoraverunt, unde eorum inscitiam, remediorum casibus suis semper utilium in vituperium converterunt. Visionibus et commentis profecto reguntur. In Choleræ urgentissimæ et gravissimæ curatione, opium remedium est princeps; valentiores et cito operosiores praeparationes pharmaceuticae, quae opii substantiam liquatam continent, uti sunt laudanum liquidum, et tinctura thebaica. Haud exiguo sistit labore atque periculo Cholerae curatio, quae sine opio erit perficienda. Si respicere velis ad saevissimos dolores cardialgicos sedandos; si ad adynamiam maximam cordis et arteriarum propugnandam; si ad coercendum ingentium evacuationum excessum; si ad calorem reproducendum, atque ad transpirationem provocandam, nullibi invenies remedium, quod opio comparare quidem poteris.

---

dicitur Sura: *a surae distillatione obtinent* Araka, *qui est aeque ac alkool noster: ambo sunt remedia excitantia et in Cholerae curatione valentissima. Valmont de Bomare Dizionar. rag. univ. di Storia naturale.*

Opium porro, affirmo, vires cordis et arteriarum illico auget, convulsiones et dolores sedat, transpirationi favet, crisimque felicem provocat. Cholera asiatica grassata est hucusque, genus hominum perterrens, quia medicinae recentis sectatores opium vel male, vel plane non adhibuerunt in ejus curatione.

Penso remediorum excitantium explanato, ad alterum remediorum genus, quod vitae viribus parcit, ea evacuando, vel sedando quae vires avertere moliuntur, transeo; quodque in omnibus Cholerae speciebus per aliquod tempus duraturis faciendum. Praestant reliquis emetica, inter haec tartarum stibiatum, quod aegrotantibus linguam muco albo atque aphthoso habentibus obtectam, epicraticis, reiteratisque portionibus dare convenit. Formula qua utor eadem est, quae in Nosocomio Pacis et inservit sodalibus meis perdoctis Giannattasio et Argenziano in febrium gastricarum curatione: ex tartari stibiati granis duobus, nitri purissimi et florum salis ammoniaci ana scrupulo uno, aquae stillatitiae florum sambuci libra una, et syrupi violarum uncis duabus componitur. Sumit aeger omni tertia quaque hora cochlearia quatuor hujus solutionis. Mirum in modum membrana mucosa detergitur, saburris gastricis dejectis maximo aegri levamine. Attamen periculosissimum est hoc remedium si administretur in maxima virium adynama, unis vincenda corroborantibus.

Modus agendi tartari stibiati numquam contrastimulum sapit. Magni remedii actio non alia quam irritans est, sed fugiens et gradiens per stomachi et intestinorum superficiem, ubi nascuntur materiarum mucosarum resolutio et earum

prompta evacuatio, vomitu aut ventris fluxu. Quia irritat, humores ciet, in superficiem intestinorum bilem evocat, denique sua vi cathartica humores morbidos, qui antea ibi erant, illosque quos devexit inter se commixtos trudit.

Neque negligenda ipecacuanha, quae parvis portionibus et epicratice exhibita, magnum semper attulit adjumentum. Pulvis doweri antirheumaticus, efficax est Cholerae remedium; quia simul varias explet indicationes, nullo cognoscendas labore, si respicis vires antirheumaticam atque antispasmodicam una gaudere, quae Cholerae curandae sunt aptissimae.

Eodem modo dijudicanda sunt antimonialia remedia, in quibus magni in arte nostra viri parvam vim emeticam perspexerant, proinde uti resolventia adhibuerunt magno semper aegrotantium adjumento. Pulvis Jamesii, peroxidum album antimonii, aliaeque praeparationes curationi inservire possunt in diversis morbi positionibus semper parvis portionibus propinandae et per aliquod tempus reiterandae. Motu enim retrogrado, quem excitant, saepe saepius renovato materies ea mucosam membranam amittit, quo perficitur curationis opus.

Modus agendi mercurialium idem est: eorum actio irritans et resolvens est in vasis lymphaticis et in membranis mucosis, cum quibus claram videntur habere affinitatem. Num vero contra venenum cholericum aliquam habere possint vim chemicam ad illud mutandum idoneam, videbimus infra.

Tandem in aevo tam venenorum fortunae propitio non defuerunt qui saturnina, opio, aliisque remediis conjuncta in Cholerae curatione celebrant;

sed cur habitas sanationes, si verae sint, saturni veneno potius tribues quam opio, probatissimo Cholerae remedio?

Cholerarum curatio interdum phlebotomia perficitur, hirudinum aut cucurbitularum scarificatarum applicatione. Duae attamen sunt positiones in quibus sanguinis missio ad curam felicem habendam certo requiritur. Prima est diathesis universalis hypersthenica idest sanguinis plethora in universo corpore aeque universalis constituta: altera est localis atque irritativus processus morbosus, qui ultra modum partem, quam invadit, sanguine ditat non suo; scilicet ea positio est plethora localis quoad vasorum angustam capacitatem disposita. In utroque casu phlebotomia, hirudines, cucurbitulae scarificatae sunt pernecessariae, non omnes simul, ut mos est recentiorum medicorum, sed singulatim adhibendae, et fere semper initio curationis.

Magna tamen prudentia fretus sit oportet naturae minister, ut recte instituat sanguinis missionem. Diathesis enim universalis hypersthenica metienda nusquam est symptomatum gravitate atque vi, numquam calore nimis aucto, et numquam faciei rubore vel alicujus corporis partis rubore atque tumore, uti illam metiuntur Tommasinii sectatores. Symptomata siquidem non aegri vires, potius ipsius labores sunt, atque conatus reactionis, saepissime ex virium summa inopia, irritationis alicujus partis vi ducti. Permanens virium facultas cum motibus, qui causarum morbosarum partem aliquam lacessentium violentia expenduntur, non est confundenda (1).

(1) *Consule meas Epistolas apologeticas, eam proprie Tommasinio missam.*

Virium copiam ab antecedentibus pernoscere oportet, tum aetatem, temperamentum, idiosyncrasias, sexum, habitudines pervestigare aegri ut judicium rectum ferre possit medicus de hypersthenicae diathesis existentia, phlebotomia debellanda. Recte quidem Geoffroyus argumentatus est, dicens « quamquam choleram uti morbum » inflammatorium respicerem, sanguinis missio- » nem tamen proponere in ejus curatione mini- » me auderem; virium prostratio, qua morbus » frequenter stipatur, illam plane contraindicat. » Si casibus obviam iverit medicus, in quibus » adhibere conveniet, prudentioribus atque ve- » tustis praticis dijudicandum (1).

Raras esse positiones, in quibus sanguinis missionem instituere convenit, ratio docet, firmatque recta observatio. Sanguinis parcere evacuationibus prudens erit, qui vires imminutas, alioquin fractas invenire non patitur in morbi curriculo, neque vituperio obviam ire optat, vires jam destructas, virium indigens, denuo reficere.

Frequentiores sunt pathologici status, qui missionem sanguinis localem requirunt, utpote fere omnes morbi eodem modo constituti in partes, quibus se evolvunt, sanguinis copiam praeternaturalem evocant, quae partes ipsas incitat, distendit, dilaceratque. Hirudines et cucurbitulae scarificatae partibus ipsis applicitae magnum aegro afferunt levamen. Sciant interim contrastimuli sectatores, evacuationes, de quibus loquuti sumus, vitae viribus semper indulgere, numquam vires deprimere, ut ipsi falso putant. Sanguinem enim

---

(1) *Oper citat. l. c.*

inter et extra vasa distenta infarctum, sensibilitatis partis affectae inimicum extrahunt; idcirco vires substinent, quae ab ipso destruerentur detento. Et sunt denique fines, quos ultra nequit sanguinis missio, etsi localis, utilis esse; quoniam vires partis affectae labefactat necessarias ad coctionem, et ad crisim exequendam: qui fines contrastimulantibus nulli sunt; morbum tanquam virium augmentum habendum esse autumantes, toties hirudines partem affectam admovent quoties ejus morbi redeunt symptomata, contra quae adhibendas putant: symptomata interim redire coguntur dum aegri erit vita, atque irritatione aliqua ejus pars lacessetur; proinde tam ingentem hirudinum numerum admovere atque reiterare oportebit, quam sat erit, ut ne guttula quidem sanguinis aegro superesset, et morbus sine sanguine superfuisse deberet (1).

Sed malorum non hic finis: observare morbi alicujus longe projecta symptomata coeperunt, illaque uti radios existimare qui ex vita hypersthenica prodeunt; atque ubi dolores reperiunt vel rubedines uti sunt arthriticae, quae hic illic ambulant, ipsi et pari passu ambulando, admovendam esse magnam hirudinum copiam praescribunt; ideoque reiteratis sanguinis missionibus, morbi ramos semper excidunt, ut truncus morbosus sine sanguine in corpore crescat et tandem perimat aegrum.

Optimae possunt esse phlebotomia, cucurbitulae scarificatae et hirudines in Cholerae curatione; sed moderatione quadam adhibendae et intra cer-

---

(1) *Utor verbis antistitis nostri Antonuccii.*

tos fines semper instituendae. Hujus regiminis modificationes desiderant variae morbi positiones, aegrotantium aetas, sexus, temperamentum, idiosyncrasiae, habitudines, et anni tempora.

Alteram indicationem, quae organorum integritati consulit, restat perpendere, quamquam indicationem vitalem scrutando, multa quae indicationem organicam explere possunt, recensui. Enimvero organorum integritatem, nullo modo, eorum vita incitata, tueri possumus, vix exceptis laesionibus externis, quas caussae meccanicae vel chemicae effecere. Tunc arcessiti chirurgi vel medici, corpus integritati partium inimicum extrahunt, vel alicujus remedii chimici applicatione illud mutant, ut quae faciebat phaenomena irritationis, amplius gignere nequeat. Quod vero in partibus internis causarum morbidarum vi orditur, operationibus chirurgicis aut chemicis minime obtemperat; in vitae ditione positum, vita ipsa tantum resolvere, concoquere, eliminare datum est. En cur asserere non dubitabam, organicam indicationem absolvendam etiam esse remediis, quae vitae modificationes faciunt, illamque disponunt, ut organizationis integritati provideat. Notum quoque est, vitam esse quae materiam suam struit, destruitque, prout typum sanitatis vel irritationis assumat. Idcirco morbum curare idem valet ac organorum tutari structuram. Advertendum attamen est, multos morbos curari non posse nisi laesionem aliquam partes affectae patientur; quod accidit saepe in morbis curriculum habentibus necessarium, aliquando in iis, cujus curriculum etsi necessarium non sit, necessarium fit ob profundam impressionem quam ad organizationem causa attulit morbosa, vel ob statum partis

affectae nimis vitalem, quo morbus properat ad ea eruenda, quae in aliis partibus non accidissent. Tunc prudentia quadam regantur naturae ministri necesse est, ut nimiam tantum irritationem curent phlebetomiis, aliisque deprimentibus; cum symptomatibus morbi reactivis aliquam habeant rationem, quibus opus naturae commissum est materiam irritantem concoquere atque expellere. Fons omnium disceptationum et controversiarum notio haec est, quae medicos in duas classes inter se contradicentes et obtrectantes distribuit; quorum alteri *naturam medicatricem* malorum, potius *malorum creatricem* esse, tamquam athei putarunt; alteri in morbis ipsis, et in eorum aliquibus symptomatibus praesidium invenere, quo morbi ipsi vincuntur, et ad suos fines saepe feliciter ducuntur. Ad ultimam hanc classem, in qua reperiuntur, ut alios omittam infinitos prudentissimos, Hippocrates et Celsus, nos etiam pertinere aperte confitemur.

Musicae imaginem hominum vitam exprimere, auctor est Hippocrates: non uni enim, sed omnibus chordis, omnibusque vitae instrumentis, eorumque simul integritati providere, hoc est onus naturae Ministri. Ut servet unam tantum, phlebotomiis reiteratis omnes alias dilacerare, vitaeque vires in nihilum redigere, minime sapit prudentiam. Quod paulatim fit, tutum est. Phlogosim debellandam sanguinis missionibns, ne habeat tempus, partes quibus insidet, destruendi, notum omnibus est, neque novnm est. Sed ut servetur partis alicujus, saepe ignobilis, integritas, totum aegrotantium sanguinem mitti, vires cordis et arteriarum tam exanimes reddere, ut sis superessent ἰχὼρ tum lympha et serum, et

quasi mutentur in mollusca; hoc contrastimuli sectatores, qui partem et totum aequalia esse argumentati sunt, tantum intelligunt. In phlogosi duas phaenomenorum classes considerare pernecessarium putavi (1): quae partibus affectis destructionem minitantur: quae partes aperte tutantur: prima curanda atque deprimenda: altera lenienda sunt, numquam curationis ope destruenda. Calor inde phlogosis atque humorum collectio, quam sibimet fecit, minuenda non extinguenda: aliquid caloris atque humoris vitae relinquendum, ut motibus suis, quidquid extra vasa est, resolvere possit et elicere.

Quum poterit medicus sanguinis reiteratis parcere missionibus, ad substantias antiphlogisticas confugerit, ad aquam florum sambuci stillatitiam, syrupo violarum atque nitro vel nitro stibiato commixtam, ad lactis serum, ad acidulas potiones, frequenter reiteratas, quae fluida, quibus vita indiget, et lene stimulum una praebent, nequaquam aegri viribus sustinendis accomodatum, irritationi novam excitationem inferre nequit. Omnibus praestat balneum tepidum, humoribus resarciendis atque irritationi sedandae aptissimum.

Reliquum est, ut disseramus de remediis chemicis, quae contagium mutent, ut non amplius operetur, quod antea faciebat. Multae ephemerides nuntiarunt remediorum inventiones, quae contagium cholericum destruunt, Choleramque ipso debitam curant; sed observationibus inde habitis compertum est, eas, ephemerides sumpsisse

(1) *Consule meas Institutiones Medicinae practicae P. 1. Patologia cap. XV.*

ab empiricis, et a circulatoribus, qui, ut nomen, quod obscurum erat, assequerentur, commodum divulgare putarunt. Si dimidia tantum pars earum, quae scriptae sunt atque divulgatae, essent comprobatae, Cholera amplius non esset ad homines necandos, ad laborem meum ciendum. Ægre idçirco fateri necesse est, usque adhuc nullum esse inventum praesidium Cholerae progressui impediendo, nullum specificum repertum, quod morbidum contagium destruere possit. Caeterum quae scripta sunt prosequor.

Incipiam a mercurialibus, quae in Cholerae curatione levamen aliquod produxerunt testibus doctissimis medicis anglis, qui in India ad calomelani usum saepissime confugerunt. Videntur tamen non tanti extimasse mercurialia ut ipsis unis Cholerae curationem committerent. Robertus, doctus medicus massiliensis, primus statuit unguine mercuriali a duobus uncis ad sexquilibram fricandum esse totum corpus, usque dum devicta sint Cholerae praecipua atque urgentiora phaenomena. Asserit clarus vir decem et octo cholericorum hac methodo sexdecim feliciter curavisse. Duo nunc occurrunt scrutanda. Primum quod Robertus, ut chemicus fecisset, mercurium non adhibuit ad contagium destruendum, quippe qui, stomacho aegrotantium ubi contagium extare solet, illum non applicuit: alterum est quod observare oblitus est, num frictiones per totum corpus absque mercurii unguento, sed olio olivarum, aliisque pinguibus substantiis, in unguine mercuriali etiam extantibus, tantum peractae, cholericos curarent. Quod certum esse evincitur infra s observationibus. Oleosae siquidem frictiones habeant vel non habeant mercurium, cal o

rem aegri renovando, humores resarciendo consumptos, transpirationem ciendo, vires excitando, Choleram brevi curare possunt. Quod attamen omnibus cholericis accidere posse, ratio vetat credere. Cholericorum enim aliqui in maxima virium inopia constituti frictionibus tantum non egent; sed analepticis, excitantibus, amaris, cordialibus ad eorum adynamiam vincendam aptioribus.

Caeteroqui mercurium iis praecipue adhibere placuit in Cholerae curatione, quibus mens fuit Choleram a nova et nusquam visa insectorum specie, stomachum aegrotantium lacessente, plane derivare: mercurium insectorum omnium venenum ad Choleram ab insectis productam curandam aptissimum invenerunt: sed prima ipothesis alteram fecit ipotheticam curationem.

Bismuthi magisterium nimis perdoctus Leo laudavit in Cholerarum curatione quae grassabantur inter Sarmatas. Sui remedii grana duo, omni tertia quaque hora una cum decoctionibus melissae calidissimis, paroxismo algido instante, in multissimis aegrotis feliciter propinavit. Et omissis phlebotomiis, hirudinibus, catharticis, aliisque deprimentibus, frictiones adjunxit uncia una liquoris ammonii caustici et sexquilibra spiritus angelicae compositi constitutas, pedibus, suris, manibusque applicandas, reiterandasque donec calor excitatus in iisdem non foret. Cura ergo a perdocto auctore divulgata non alia quam excitans fuit, magis calidissimis melissae decoctionibus nec non liquoris ammonii caustici et spiritus angelicae compositi frictionibus, quam ignoto bismuthi veneno adscribenda. Excitans methodus Choleram medendi tam communis in India facta

est et popularis, atque Java insulani insciis medicis Pharmacopolas adeant, ut acquirerent *Aquam Cholerae*, sic dictam, essentiae menthae duabus portionibus et una laudani liquidi compositam ipsamque amicis, coniunctis cholericis exiberent, propinarentque. Cito tamen et larga manu dare oportet ut promptae et felices habeantur sanationes. Teste perdocto Peitscho phlebotomiis et hirudinibus omnino rejectis descripta metodo omnes cholerici brevi convalescunt.

De oleosis superius dixi, antidota veneni cholerici perpendens. Oleum vomitum ciere, purgare, materiam morbidam stomacho inhaerentem lenire, corrigere, atque expellere plane quidem potest. Ricinorum oleum recenter expressum non parum commendo, quoniam si cum Cholera conjungentur vermes, anthelminthica etiam pollet facultate.

De mucilaginosis pauca, quae et ipsa lenire possunt superficiem a materie morbosa incitatam. Utcumque morbus procedat, membranam mucosam in Cholera hic illic inflammatam, et in choleris vehementioribus exsulceratam certo considerabis. Oleosa, et mucilaginosa punctula irritata lenire possunt, ea obtegendo, iis superinduendo quasi novam vestim, ut materies quas aegri sumunt, vel quae stomacho colliguntur, ea tangere potis non sint, et irritationi novam non addant excitationem.

Similiter agunt et corallina officinalis et aliae substantiae medicinales quae gelatinam praebent, et anthelminthicam vim possident. Divulgatum etiam fuit Choleram ab insectis ac vermibus nasci, ipsique occurrendum anthelminthicis, oleosis, et mercurialibus; verum observationes novissimae opinionem nullo innixam fundamento, omnino rejecerunt.

Unum tantum restat, quod molestum mihi creat laborem, homoepathia Samuelis Hanhemani quae et ipsa in Cholerae curatione rumores excitavit. Difficultatum maxima fuit Commentarioli locum invenire ad quem pertinere posset, ut rite enuclearem. Scientia, quae certo non est homoepathia, scientiarum methodo, qua scripsi, nusquam tractanda. Potius ut regimen in certis morbis empiricorum more adhibendum considerari potest, nullis doctrinae medicae fundamentis innixum. En cur laborum meorum finem complet.

Pro parte mea magnum puto negotium perpendere curationes quamplurimas, quas Hanhemani sectatores obtinuerunt felices, sua exhibendo remedia homoepathiea; quod si Quino adstipulamur, paucissimi periere eorum, qui hanhemaniana methodo fuerunt tractati. Me piget sane multorum scriptorum, quorum aliqui praetereundas esse divulgatas observationes, alteri vix crediderunt eas indicare, quasi desiderent, ut nullibi praxi inservirent medicae in Cholerae curatione.

Non commendaturus Hanhemani homoepathicum regimen, Quino tamen credo, medico excultissimo et probo, suisque observationibus, non sine injuria reprobandis. Hisce constat spiritus vini camphorati, veratri albi attenuatissimi, et cupri praeparationibus, itidemque in infinitum divisis, propinatisque in Cholerae diversis stadiis, rem mirifice restituisse. Quod admitto, proboque, Illud latet nihilhominus, num per homoepathiam remedia operata sint, an per homoepathiae simulationem; quoniam neglectis venae sectionibus, hirudinibus, purgationibus, aliisque remediis vim vitae deprimentibus, vitam ipsam excitando, atque roborando Choleram vicerunt. Tur-

bandae tamen homoepathiam, quam paucissimi sequuti sunt, aut si qua alia erit, hac melior, aut auctior, minime nunc laboro. Resque tanti non erat momenti ut labores substinere valeret. Namque non tam experimentorum angustiis, quam obscuro atque irrationali nullo modo obtinendo philosophiae generi utpote minutiis innixam doctrinam, ad eam non accedo, etiam quum mihi foret jam senecta aetas, subtilibus theoriis non arridens.

Revera quae nascuntur in nobis remediorum propinatione phaenomena, variam formam, variamque naturam habent, ipsorum quantitati, hominum aetati, sexui, temperamentis, habitudinibus, idiosyncrasiis, temporibus respondentem: quod uni nocet saepe alteri prodest. Notum est omnibus fungos, vinum, lac, venena laethalia esse aliquibus, aliisque optimum salubreque nutrimentum praebere. Et notum etiam est morbi alicujus curriculum novam esse et temporariam idiosyncrasiam aegroti, qui, dum durat, ea rejicit quae prius ipsum maxima afficiebant voluptate (1). Quomodo ergo potuit Hanhemanus statuere, camphoram e. g. phaenomena in corpore humano gignere, quae assimilia phaenomenis, quae habentur in Cholera, sint, si utraque perpetua nullibi esse possunt; varietatesque eorum, tam in successionis or-

(1) *Quia non eadem omnibus, etiam in similibus casibus, opitulantur: si quidem certae quaedam res sunt, quae in pluribus ventrem aut adstringunt, aut resolvunt; inveniuntur tamen, in quibus aliter, atque in caeteris, id eveniat. Cels. De medicina lib.* I *praefat.*

line, quem arbitrarium finxit homoepathicus, quam in iis ipsis producendis faciunt aetas, sexus habitudines, idiosyncrasiae et ipse morbus eorum qui experimentis inservierunt? Sensu comuni destituti sint oportet qui nugas hasce receperunt. Phaenomena similia prodeunt in animalibus, quodcumque sit pharmacum quod propinabis; sat erit tibi ejus quantitatem variare. Chinachina, quae parva vomitum sedat, vomitum gignit majori exhibita quantitate, et similia phaenomena derivare potis es a quovis alio pharmaco eodem modo variato. Nonne cibus hilariter sumptus et potio gratissima ad instar veneni stomachum aliquando lacesserunt, cardialgias, vomitus, sudores algidos, syncopem, aliaque similia produxerunt phaenomena? Et erit, qui mensa lauta, et potionibus, quae stomachum implent, cardialgias, syncopen, vomitus, et sudores algidos curabit? Ubinam sunt morbi qui perpetuo iisdem conjunguntur symptomatibus, et iis accomodata remedia homoepathica? quis ea novit? quis noscere potest? unde petenda?

Hoc unum scio, quod labantibus certis scientiis, commenta apparere solent, quae barbarismum redolent, quaeque aliquorum inscitiam lucrifaciendo, litterarum miseriam confirmant.

Remedia, quae a camphora, a cupro, a veratro albo habentur, in morbis nervorum adynamicis semper cum levamine aegrotantium adhibita fuere: parcissimis portionibus propinatis cupri ammoniacalis, vel camphorae vel veratri albi in epilepticis, catalepticis, aliisque hujusmodi aegrotis, morbum relevare, visa sunt. Ea enim vires excitant, humores densos resolvunt in vasis, in quibus circulatio fere nulla, conditionem pathologicam morbi nervosi constituit. Quid mirum siaeneae

praeparationes Choleram adynamicam, quae vehementer nervosa est, curent? Observationes ergo, quae utilitatem aliquorum pharmacorum comprobant, cum ignorantia principiorum, quibus moderari deberet eorum propinatio, non sunt confundendae.

Pro rei veritate, quod debebam, ingenue dixi: benignis lectoribus meos errores, qui, quum Commentariolum raptim scripsissem, forte irrepserunt, corrigendos committo, ut possim altera editione omnibus mendis purgata eos remunerari: de aliis, sicut meus est mos, nulla cura; quoniam pro iis scriptum est. « Itaque si quis majora credat aut » spondeat, id putant esse cujusdam impotentis, » aut immaturi animi. » *Bac. de Verulam. Nov. Org. Scien. de Interp. Nat. et Regno humin. aph. XCII.*

FINIS.

INDEX

			Errata typographica	*Corrige*
Pag. 33	v.	26	disenteriae	dysenteriae
36		14	substinet	sustinet
39		18	rennovatur	renovatur
39		22	traspiratione	transpiratione
45		19	traspirationis	transpirationis
51		2	substinet	sustinet
52		10	comenta	commenta
62		16	substinendam	sustinendam
69		15	concnoquendam	concoquendam
71		23	cognosces	cognoscis
72		24	Hannemannum	Hanhemanum
91		*in nota*	noster	nostrum
95		18	prudens	prudentis